

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

F. THOMÆ CAMPANELLÆ
CALABRI, ORDINIS
PRAEDICATORVM,

APOLOGIA PRO GALILEO, MATHEMATICO FLORENTINO.

VBI DISQVIRITVR, VTRVM RATIO PHILOSOPHANDI, QVAM GALILEVS celebrat, faueat ſacris ſcripturis, an aduerſetur.

FRANCOFVRTI,
Impenſis GODEFRIDI TAMPACHII,
Typis ERASMI KEMPFFERI.

ANNO M. DC. XXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

LECTORI BENEVOLO
S. P. D. Typographus.

NOn eſt de nihilo ab Homuncionibus nobis, qui in mundo hoc circumfuſo vndiquaque tanquam vermes in caſeo viuimus, tantas obiri diſputationes de conſtructione ipſius, vtrum Sedes & domicilium hoc noſtrum quod Terram vocamus, in ſublimi circa Solem circumcurrat cum alijs eius generis globis, an hic circa illud. Tam puſilla nimirum animalcula ſumus, vt inſtar muris in naui pene de his neſciamus, quemadmodum & ille ſi mus vicinus diſputaturus accederet mari non fluctuante, reſpondere nunquam poterit, an domus ipſorum communis Nauis ambulet, an vero vno eodemque loco hæreat fixa. Altioris igitur hæc indaginis à multis iudicantur, quam videantur vulgo, præſertim poſt tot nouitates in ſuperioribus globis per inſtrumentum illud opticum, quod Lyncei Philoſophi Romani Teleſcopium vocant, detectas. Hæc autem quamuis præſumtuoſi quidam, qui & Philoſophi vulgo audire volunt, plerumque videant, eorum tamẽ voluntarius ſtupor tanti faciendus non eſt, vt à diligentiori veritatis inueſtigatione reliquos auertere debeat. Prægraua-re vero hanc curam inprimis ſtudent multi vtrarumq; partium Theologi ſacrarum literarum indeclinabili Autoritate. Quod quam recte vel ſecus fiat, id vel pręcipue homini veritatis amanti diſpiciendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

est. Et cum multi & magni viri nostri & superioris temporis non minus sacrarum quam mundanarum litterarum intelligentes post veteres illos Pythagoricos in ea sententia fuerint & adhuc sint, temere de ijs quasi impijs aut ignaris præsumendum non est. Luculenter excussa hęc sunt vt multa alia ab Italo Philosopho pariter & Theologo & Monacho præclari nunc nominis Thoma Campanella in præsenti tractatu, quem Beneuole Lector tibi communicare voluimus. Ne autem hunc solum ex Italis huius professionis hominibus ea in opinione esse putes, adiungere potes Epistolam insignem & grandem M. Pauli Antonij Foscarini Carmelitani super considerationem opinionis Pythagoricorum & Copernici, de mobilitate Terræ & stabilitate solis, & de nouo Pythagorico systemate Mundi, ad M. Sebastianum Fantonem Ordinis Carmelitani GENERALEM *Italice conscriptam, & Neapoli per Lazarum Scoriggium Anno M. D. C XV. typis excusam, quæ si Latine versa esset, huic tractatui Appendicis loco inseruire potuisset.*

Horum Rationibus consideratis & bene expensis, iunctis etiam quæ legere est apud Nic. Cusanum Cardinalem, Nic. Copernicum, Georg. Ioach. Rheticum, Mich. Mæstlinum, Dau. Origanum Germanos, Iord. Brunum Nolanum, Fran. Patritium, Galil. Galileum, Redemtum Baranzanum Italos, Guliel. Gilbertum, Nic. Hillium Anglos, & vel præcipuum nunc Ioan. Keplerum nostratem, qui vt concludamus, asserere etiam cum alio ausus fuit, pleroſq; Philosophos post siderios Galilei nuncios iamdudum Copernicoturire, *non dubito Beneuele Lector, quin æquior huius tam prægrauatæ sententiæ Iudex sis futurus. Vale, & plura huius Autoris indies expecta.*

ILLV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ILLVSTRISS. ET REVEREND.

D. BONIFACIO,

CARDINALI CAIETANO,

ITALICARVM VIRTVTVM PATRONO

colendiſſimo S. P. D.

F. THOMAS CAMPANELLA.

ECce mitto tibi R. Domine, quæſtionem, iuſſu tuo elaboratam: vbi de motu telluris, & ſtellatæ ſphęræ ſtabilitate, & ratione ſyſtematis Copernicęi, diſputo ſecundum ſacras litteras. Tu vide, quid recte dictum ſit; quid item defendendum tibi aut renuendum; quando à ſancto ſenatu id in mandatis habes. Meum ego iudicium non modo S. eccleſię ſubmitto, ſed cuilibet melius ſapienti; maxime autem tibi, muſarum Italicarum patrono. Quo viuente non peribunt illæ. Viue ergo in æternum. Amen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

APOLOGIÆ PRO GALILEO

Proœmium.

ABsolutis iampridem quæstionibus duabus, hoc tempore necessarijs, Vtrũ videlicet liceat nouam cudere philosophiam, & Vtrũ liceat expediatque, peripateticam sectam & gentilium philosophorum autoritatem deprimere, & pro illis nouam philosophiam secundum doctrinam sanctorum in scholas Christianas introducere: nunc ad controuersiam aliam specialem inuitor ab his, qui philosophandi rationem, à Galileo Florentino magnificatam, propterea abominantur, quod sacris scriptutis contraria statuere videatur dogmata. Gratificabor, prout res meæ ferunt.

QVÆRITVR ERGO

Vtrum ratio philosophandi, quam Galileus celebrat, faueat sacris scripturis, an vero aduersetur.

REm totam quinque absoluam capitibus. Et primo quidem argumẽta adducam, Galileum impugnantia. Secundo subijciam rationes, cum defendentes. Tertio hypotheses quasdam præstruam decisioni duplici subsequuturæ. Quarto respondebo ad argumenta Galileum impugnantia. Quinto dicam, quo loco habendæ rationes, cum defendentes.

(·.·)

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

CAPVT I.

Argumentum contra Galileum.

ARguitur primo contra Galileum : videri omnino theologica euerti dogmata ab eo, qui contra Aristotelis physiologiam & metaphysicam, in quibus à D. Thoma & omnibus scholasticis theologica doctrina fundatur, nouitates introducere studet.

2. Præterea, opiniones ille promulgat, quæ omnibus patribus & scholasticis contradicunt. Docet enim, terram moueri, & extra mundi centrum existere, solem vero & sphæram stellatam stare. Patres autem, scholastici, & sensus, contrarium conteſtantur dogma.

3. Præterea manifeste contradicit sacræ scripturæ. Dicitur enim Psal. 92. *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* Et Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi.* Et Salomon Eccles. 1. *Terra autem in æternum stat.*

4. Præterea idem patet de motu solis. Dicitur enim, Eccles. ibid. *Terra in æternum stat, oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens, gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.*

5. Præterea Iosuæ 10. ponitur pro stupendissimo miraculo, quod Iosue motum solis oratione frenauerit. *Sol*, ait, *contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Stetitque sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei.* Idem repetitur in Ecclesiast. cap. 46.

6. Præterea Isaiæ 38. in signum sanitatis recuperandæ dat Deus Ezechiæ portentum in horologio Achaz. *Et reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Super quo portento interrogatur Ezechias à rege Chaldæorum, qui, cum astronomiæ operam daret, hanc solis conuersionem animaduertit, vt ex 2. Paralip. 32. potest agnosci. Quapropter si non vere Deus motum solis inhibuit, non verum est miraculum. Ergo falsa scriptura, quæ pro veris miraculis ista duo narrat.

7. Præterea de cæli stellati motu videmur in sacra scriptura admirari. Dicitur enim in cantico Deboræ, Iudic. 5. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Currunt ergo stellæ. Ergo & cælum: in quo, sicut modus in tabula, insunt. Item Iudas apostolus *sydera errantia* nominat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

minat. Mouentur ergo. Item 3. Esdræ 4. *Magna est terra, & excelsum est cælum: & velox cursus solis conuertit in gyro cælum in locum suum in vna die.* Quapropter Galileus cœlum stellatum immobile faciendo, aperte contradicit scripturæ Dei.

8. Præterea ponit Galileus in luna & planetis aquas: quod falsum est; quum sint incorruptibilis naturæ, vt omnes scholastici cum Aristotele, & cœli perpetuitas & immutatio per tot secula, conteſtantur. Ponit etiam montes in luna, & terras ibi & in cæteris: quod videtur nimis angelorum domicilia vilificare, & spes nostras, in cœlis positas, infringere.

9. Præterea ex opinione Galilei sequitur, plures esse mundos & tellures & maria, sicut ponit Machometus; & homines in eis habitantes, si in syderibus sunt quatuor elementa, sicut in nostro mundo: si enim ex completis quatuor elementis quælibet stella constat, erit sane quælibet mundus vnus. Cum autem in scripturis non nisi de vno mundo sit sermo, & de vno hominum genere, videtur cõtra scripturas sentire. Omitto, quod rediret hæresis, quod Christus mortuus sit pro illis hominibus etiam in alijs stellis: sicuti quidam olim Christum in altero hemisphærio crucifixum secundo putant, vt homines ibi habitantes, ibidem vt nostrates, saluaret. Oporteret etiam ponere cũ Paracelso hæretico, alios in aêre, in aqua, & sub terra homines, participes beatitudinis, dubios an ad redemtionem & ipsi pertineant: contra quem Martinus Delrius Iesuita scripsit in disquisitionibus magicis.

10. Præterea non videtur posse absque ingenti scandalo de his disputari. Iam enim recepta est in scholis doctrina de cœlestibus & de terra, conformis theologię, vti scholastici docent. Igitur quicunque aliud docent, videntur nouam, ad theologię scholasticę euersionem, sternere viam, & super alios superbire.

11. Pręterea in scripturis admonemur, *Altiora ne quæsieris*; & *Noli sapere plus quam sapere oportet*; &, *Non transsilias terminos quos posuerunt patres tui*; &, *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Contrarium autem videtur efficere Galileus, cœlestia suo supponens ingenio, totamque mundi architecturam suo construens arbitratu. Rectius Cato pręcepit,

Mitte arcana Dei, cælumque inquirere quid sit,
Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia, cura.

CAPVT.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

CAPVT II.

Argumenta pro Galileo.

SEd contra opponitur, pro Galileo, autoritas theologorum, qui libros Nicolai Copernici de reuolutionibus orbium iuxta obſeruationes eius, ab anno 1525. factas, impreſſioni tradendos decreuerunt, eo quod nihil contrarium catholicæ fidei continerent. Quibus in libris de motu terræ, & fixione firmamẽti, id eſt, cœli ſyderei, diſputatur, & de ſolis in cẽtro noſtri mundi manſione. Nec Galileus aliquid noui præter ſyſtemata alia pandit, nondum cognita. Ergo ſi libri Copernici non incommodant fidei catholicæ, nec Galileus incommodabit.

2. Item Papa Paulus III. Farneſius, cui libros dedicauit illos Copernicus, & Cardinales quidam, (qui, antequã ederentur, tranſcribi ſuo ſumtu eos ſategerunt, vt apparet in epiſtolis proœmialibus,) eoſdem libros approbarunt. Tempore autem Pauli III. ingenia præclariſſima in eccleſia viguerunt; quando vndique accerſitos pontifex ille animo, virtute & ſanguine nobiliſſimus, dignitatibus decorauit fouitque. Vnde mirum ſi illi talpæ fuerint contra Copernicum, contemporanei vero noſtri, non tam magni nominis, Argo longe ſint oculatiores in Galileum, certioribus nixis obſeruationibus.

3. Item poſt Copernicum ſcripſere, Eraſmus Rainoldus, Io. Stadius, Michael Meſtihlnus, Chriſtophorus Rothmannus, & alij plurimi, eandem ſententiam tuentes. Imo recentiores mathematici diffidunt ſe poſſe ephemeridas rectas condere abſque calculo Copernicæo, & de cæleſtium motibus recte loqui abſque principiorum mathematicorum, certiſſimorum ruina, ſenſuum & nationum omnium teſtimonio, niſi ex theſibus Copernici: quæ nec recentes ſunt; ſed Frãciſcus Maria Ferrarienſis ante ipſum ex nouarum apparentiarum obſeruatione nouam cudendam eſſe aſtronomiam docuit; quam diſcipulus eius Copernicus fecit.

4. Item doctiſſimus Cardinalis Cuſanus hanc ſententiam amplexus eſt, & alios ſoles, alioſque in firmamento ſtellato circumgyrantes planetas, agnouit. Et quidam Nolanus, & alij, quos hæreſis nominare non permittit, hanc ſententiam tuentur. Sed in hoc condemnati non ſunt tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

quam hęretici; nec qui Catholici, à librorum editione prohibiti fuerunt. Inter quos fulget Ioan. Keplerus, mathematicus Cæsareus, qui hanc sententiam in dissertatione super nuncio Galilei tuetur: & Guilielmus Gilbertus Anglus solertissimus, in libro de philosophia magnetica, cum alijs innumeris Anglis, quos subticeo. Item Ioan. Antonius Maginus, mathematicus Patauinus, qui ab anno 1581. vsque ad præsentem 1616. in suis ephemeridibus protestatur, se calculum Copernici & Reinoldi amplecti, & positiones tuetur, & contra aliter sentientes obmurmurat in epistolis plurimis.

5. Item R. P. Clauius Iesuita in vltima editione operum suorum, cum animaduertisset, Mercurium & Venerem circa solem in gyrum vagari, quamuis antea contrarium cum Aristotelis sectatoribus sensisset, admonet astronomos, vt de alio cœlorum systemate prouideant. Quod documentum considerans mathematicus recens, Fictus Apelles, in suis obseruationibus nubecularum solarium, in Galilei & Copernici sententiam fertur.

6. Præterea hanc sententiam Galilei esse vetustissimam, tam de motu terræ, quam de solis in centro mansione, & de sistematis sydereis & aquis & elementis eorum, in fine docebimus, imo ab ipso Moyse ortam esse: etiam Pythagoram, genere Iudæum, licet in Græcia natum vrbe, teste S. Ambrosio, in Italiã attulisse ipsam, & in Græciam, & Crotone Calabrorum docuisse, ac inanibus rationibus ab Aristotele impugnatam esse, absque mathematica demonstratione, ex quadam moraliac rustica cõiectura; quemadmodum etiam libros Moysis aspernatus est, propterea quod eorum altitudinem & reconditas rationes & mysteria capere non potuit per suam logicam: & hoc ex S. Ambrosio & Pici Mirandulani monumentis haberi: & Galileum nostros maiores ab iniuria Græcorum vindicare. Eandem tenuisse sententiam Numam Pompilium, discipulũ Pythagoræ, & regem Romanorum sapientissimum, non modo Ouidius sed historici multi testantur, licet negent alij Plinius, Pythagorã senatus Romani decreto sapientissimũ inter philosophos fuisse, quando ei statuã dedicarunt (iubẽte oraculo Delphico, vt sapiẽtissimo Græcorum statuam dicarent erigerentque) veraciter enarrat. Quapropter & Italiæ & Moysi & Romę iniuriam inferre ij videntur, qui rationem philosophandi & dogmata Galilei insectantur, & Aristotelica Pythagoricis nunc antepo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

teponunt, quando iam sepulta veritas eluceſcit : non ſic autem maiores noſtros peccaſſe, quoniam nondum terra noua, & ſyſtemata cœleſtia, nouaque phænomena propalata fuere, nec concordia ſcripturarum cum huiuſmodi philoſophia.

7. Tandem cum theologi, à tempore Caſellæ & Franciſci Mariæ Ferrarienſis vſque ad nos, hanc aſtronomiam non modo non condemnauerint, ſed imprimendam decreuerint, nec recentioribus ſint minores; videntur non ex zelo doctrinæ Chriſti ; ſed vel ex inuidia vel ex inſcitia oppugnatores Galilei inſurrexiſſe.

8. Item vocatur in S. ſcriptura cœlum ſydereum *Firmamentum*, quia ſtat. Ergo terra mouetur. Ergo & ſol centrum. Nam ſic omnia phænomena & principia mathematicorum ſaluantur, vt probat Copernicus, & ſequaces; imo Ptolemæi ſequaces idem fatentur.

9. Item nubeculæ in ſole, & nouæ ſtellæ in cœlo ſydereo, & cometæ ſuper lunam, indicant palam, ſydera eſſe ſyſtemata.

10. Item non poſſe textum Moyſis recte ſatis exponi, niſi ſydera ſint ſyſtemata, probabimus infra, ex doctoribus ſanctiſſimis.

11. Item S. Iuſtinus, in quæſt. ad orthodoxos, docet, inter Chriſtianos & gentiles eſſe controuerſiam de cœli figura; his aſſerentibus, eſſe ſphæricam & mobilem; illis, cameræ inſtar & immobilem. Alijque doctores vocant cœlum Firmamentum propterea quod immobile eſt.

CAPVT III.

Hypotheſes tres præſtruuntur deciſioni duplici, poſtea ſubſequuturæ.

ARgumentis vtrimque propoſitis pro veteribus & modernis theologis, Galileum defendentibus & oppugnantibus, reſpondebo, ſed iactis heic prius ſolidis, probatiſſimiſque fundamentis ſiue hypotheſibus, ex ſanctorum doctrina, & naturæ decretis, & nationum conſenſu.

Prima hypotheſis.

QVicunque quæſtionis, etiam ad religionem vel ex parte ſpectantis, iudices fieri volunt, zelum Dei habere debent, & ſcientiam, vt docet S. Bernardus in apologia, ex dictis apoſtoli ad Rom. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Probatur prior pars huius copulatiuæ. Qui enim scientiam habent absque zelo Dei, hominibus in tribunali vel gymnasio regnantibus adulantur; ac proinde pro veritate definire non audent; vt Ioannis 12. dicitur: *Ex principibus multi crediderunt in Iesum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non ejicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Item Apost. Rom. 1. Philos. condemnat, quod, cũ Deum cognouissent, nõ tamen sicut Deum honorificassent: sed Dijs falsis sacrificassent, quoniã, vt Plato quoq; in Apologia pro Socrate, & Xenophon, & Cicero & Plinius & alij narrant, timebãt ne criminis hæreseos accusarentur apud senatum; multique eorũ, tanquam impij interficiebantur. Alij vero, quoniam ex opinione, quam vulgus sectatur, pecunias lucrantur & honores, sic eam defendunt, vt videantur publicæ vtilitati saltem consulere; nec pro veritate & iustitia certant, aut laborant, sed pro gloriola & ventre; & relicto proprio iudicio in crimen transeunt alienum, vt dicit Leo Pontifex de Pilato; vtque Apostolus ait, *veritatem Dei in iniustitia detinent*; adeoque seipsos ita afficiunt, vt tandem videatur eis vera opinio, quam ore defendunt, & corde negabant. Sic fit pestis animorum, vt dicit T. Liuius, & nos in Antimachiauellismo.

Probatur posterior pars copulatiue. Qui autem zelum Dei habent, & non scientiam, quamuis sanctissimi sint, nisi à Deo expressam reuelationem acceperint, nequaquam de quæstione tali iudicare possunt. Vnde Apostolus Roman. 10. testimonium perhibet Iudæis, quod persequuti fuerint Christianos *ex zelo Dei, sed non secundum scientiam*. De seipso quoque testatur, quod putarit, se obsequium præstare Deo. Et quamuis esset litteratus & eruditus in lege secus pedes Gamalilæis, & in doctrinis sæcularibus, tamen ait: *Ignorans feci, & in incredulitate mea:* quia non per omnia argumenta examinarat fidem Christianorum, sicuti debebat. Præterea Lactantius, Firmianus & S. Augustinus, cum essent sancti ac docti, negauerunt antipodas, moti ex zelo Dei & scripturarum; sicut patet ex argumentis, quæ inde educuntur; tum quia homines illi ex Adam non traherent originem, quod est contra scripturam; tum quia fit impossibile, ex nostris illuc migrasse per Oceanum impertransibilem: alij addunt, quia Christus hic & ibi crucifixus bis fuisset: quia scriptura dicat, cœlum esse extensum sicut cameram, cuius basis tellus, (ait Iustinus,) super qua aqua, & super hac cœlum immobile. Nihilominus iam vide-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

videmus, falsas esse rationes hasce, ex defectu mathematicæ & cosmographiæ ortas; propterea que scripturam quoque torqueri. Et sicut falsa esse deprehenditur sententia S. Thomæ, quod sub æquinoctiali non extet habitatio hominum, idque physiologiæ & geographiæ itidem defectu & ex zelo Aristotelis cui magis credere voluit quam Alberti Magni & Auicennæ rationibus: ita eodem zelo scripturarum S. Ephrem, Anastasius Sinaita, & Moyses, episcopi Syri, in altero hemispærio toto posuerunt paradisum terrestrem: non enim, nisi in spatio bene magno, aiunt, quatuor illa paradisi flumina, & arbores tot tantæque esse potuerunt. Nihilominus iam deceptos eos, ex nauigãtium testimonio apparet. Recte ergo diximus, quod sine scientia non recte iudicet etiam sanctus. Vnde D. Thomas in opusculo contra impugnantes religionem cap. 11. quia philosophabantur, ad hoc allegat glossam super Daniel. 1. inquientem: *Si quis imperitus huius artis aduersus mathematicos scribat, aut expers philosophiæ aduersus philosophos agat, quis etiam ridendus vel ridendo non rideat?* Et poeta Comicus de tali iudice ait:

Dij immortales, homine imperito nihil iniustius,
Qui nil rectum, nisi quod placeat sibi ducit.

Secunda hypothesis.

SEx sunt, quæ iudicem harum quæstionem scire oportet, vt possit recte iudicare.

Primum, quod philosophia de rebus cælestibus & inferioribus necessaria sit theologo speculatiuo, contra sectarios disputaturo.

Secundum, quod nondum à philosophis scientia de cœlestibus perfecta sit.

Tertium, quod neque sanctus Moyses, neque Dominus Iesus, nobis physiologiam & astronomiam aperuerint, sed *Deus tradiderit mundum disputationi hominum*, Ecclesiast. 1. *vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent*; (Romanorum 2.) docuerint autem nos beate viuere, ac dogmata supernaturalia, ad quæ natura non sufficiebat.

Quartum, quod qui vetet Christianis studium philosophiæ & scien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

tiarum, vetet etiam esse Christianos. Et, quod sola lex Christiana commendet suis omnes scientias; quia de falsitate sui non timet.

Quintum, quod, qui tamquam ex doctrina fidei Christianæ philosophos, ratione & exprimentis dogmata sua probantes, impugnant, quando illa non sunt expresse contraria scripturis sanctis, expositionem non recipientibus per alios contextus; hic pernicioſe contra se, & impie contra fidem, & irrisorie ad alios, se habeat: multo autem magis, qui scripturæ sensum vni ex philosophis ita accommodat, vt alius incommodet.

Sextum, quod non omnis falsitas ita contrarietur scripturis, vt habenda sit pro hæretica in ecclesia militanti, sicut fortassis est in triumphanti, nisi sensum scripturæ subito aut consequenter euertat: & quod, si theologi complexati sunt dogmata, scripturis Dei magis aut æque contraria secundum apparentiam, nõ sit condemnandus aut à speculatione vlteriori arcendus, qui, an ita se habeant dogmata quæ adferuntur, inquirit, animo veritatis aperiendæ, non fidei impugnandæ.

Quas assertiones sex in Theologicis nostris probatas, prout præsenti quæstioni expedit, iterum probare non grauabimur.

Probatur assertio Prima.

QVanquam Christiano sufficit, nosse quæ sibi credenda sunt ad salutem æternam consequendam, vt docet D. Thomas in 2. 2. q. 8. & 9. & cum eo omnes theologi, non sufficit tamen theologo, cuius est *alios exhortari in doctrina sana, & contradicentes arguere*, vt docet apostolus, & cum eo omnes patres. Cum enim de omnibus rebus per altissimã causam, quæ Deus est, iudicare habeat theologus, & non per causas modo inferiores, quem admodum cæteri artifices, & sapientes; indiget omnes scientias peri osse, vt simul Deum, quod eius obiectum principale est, & omnia opera Dei cognoscat; & si qua scientia, quæ de Deo & de operibus Dei apud homines tractat, contradicit scientiæ diuinæ, eam impugnare possit, & argumentis respondere. Neque enim verum vero contradicit, neque effectus causæ: ergo nec scientia humana diuinæ, nec opera Dei Deo, vt ex Concilio Lateranensi sub Leone X. admonemur. Quapropter Diuus Thomas in opusculo contra impugnantes religionem, propterea quod

fratres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

fratres scientiæ & eloquentiæ seculari operam darent, ostendit, eos esse cæcos, nec videre, quam necessariæ, nedum vtiles sint scientię theologo. Atque ideo quamuis theologia respectu sui non egeat probationibus ex scientia humana desumptis, tamē respectu nostri indiget, vt roboremur, & intelligamus ex sensibilibus & naturalibus supernaturalia. Et probatur testimonio Augustini & Hieronymi & Dionisij & aliorum patrum, qui hoc faciendum docuerunt, & fecerunt. *Vt nescias*, ait Hier. in epist. ad Magnum, *quid prius in illis admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam scripturarum*: additque Apostolum Paulum propterea poetas & philosophos legisse, quos etiam citat sæpe. Et Gregorius in moralibus, illud Iobi, *Qui facit arcturum & orionem*, exponens, de sapientia astronomorum secularium acceptum dicit. Item probant patres & D. Thomas in 1 q. 1. ex dicto Salomonis: *Vocauit sapientia*, id est theologia, *ancillas*, id est scientias, *ad arcem*. Imo scientias esse in præcepto generi humano, non autem indiuiduo huic vel illi, clarum est. Nam fecit Deus hominem, vt Deum cognosceret, cognoscendo amaret, & amando frueretur: & propterea sensitiuū & rationalem. Si autem ratio ad scientias valet, contra ordinem Dei naturalem facit homo, nisi hoc dono Dei ex instituto diuino vtatur, vt solet arguere Chrysostomus plane sicuti pedibus ad ambulandum vti nollet. Vnde Aristoteles; *Omnes homines natura scire desiderant*. Et Moyses Genes. 1. *posuit Deus hominem in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum*. Hoc autem non erat opus manuale, nec custodia ab animalibus; quum absque labore ex sponte nascentibus tunc viuerent, & cuncta animalia illi obedirent: sed erat opus speculationis rerum, & obseruatio cœlestium ac naturalium, ex admiratione prodiens, vt, quia tenebatur Deum venerari, (quod sine cognitione præuia non potest fieri, *qua inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur*, teste apostolo,) vndique philosopharetur. Licet autem Adamo omnes scientiæ fuerint infusæ, experimentali tamē carebat. Et hoc præceptum datum est illi, non vt persona erat, sed vt caput generis humani, ac propterea nobis, qui ex eo descendimus, vt patres testantur. Item Dauid ait, *Quærite Deum, & viuet anima vestra*. non potest autem à nobis quęri, nisi in rerum natura ab eo creatarum, vt causa in effectu inquiritur. Et alibi ait, *Mirabilia opera tua, ideo scrutata est anima mea*. Et Salomon, Eccles. 1. inuestigasse diligenter de omnibus quæ sub sole sunt, declarat; quamuis infusa præditus scientia: &, Sapient. 7. fe res omnes naturales, mathematicas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ticas, astronomicas & logicas sciuisse pandit; & de cunctis rebus physicis disputasse perhibetur in 3. Reg. 4. & scripsisse, vt alij volunt, de herbis, volucribus & lapidibus & piscibus. Et propterea mundus vocabatur ab initio Sapientia Dei, (vt reuelatum est sanctæ Brigittæ,) & liber, vt omnes in eo legeremus. Vnde S. Leo, serm. 7. de ieiunio decimi mensis; *Per ipsa*, ait, *elementa mundi, tanquam per publicas paginas, diuinæ voluntatis significationem accipimus.* Et sermon. 8. idem probat ex eo, quod *cæli enarrant gloriam Dei, &c.* & *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, &c.* Et profecto etiam: vt dicit Cyrillus in primo contra Iulianum, *philosophia est catechismus ad fidem:* qui ipsam spernit, fidei aduersatur. Et propterea Bernardus in serm. Audiam quid loquatur in me dominus, ait, mundum esse codicem Dei, in quo iugiter legere debeamus. Idē dixit S. Antonius, teste Nicephoro, & Chrysostomus super illud Ps. 147. *Non fecit taliter omni nationi.* Vt nemo possit excusari, quod legem non acceperit. *In omnem* enim *terram exiuit sonus eorum.*

COROLLARIVM. Et quoniam, quæ sunt mirificentiora & excellentiora, magis Deum repræsentant autorem sui; maiori studio & ob hoc ipsum inuestiganda sunt, & quia animæ humanæ diuinitas ex hoc studio comprobatur. Huiusmodi autem sunt cœlum & stellæ & maiora mundi systemata. Vnde Anaxagoras factum esse hominem dixit, vt suspiceret cœlum. Et Ouidius à theologis cunctis, præcipue à Lactantio, ob hoc dictum valde laudatur, dicens de Deo:

Cum terram spectent animalia cætera prona,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Dauid autem causam reddens in Ps. 18. canit: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Et in Ps. 8. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Plato etiam in Epinom, & in Axiocho, (si tamen non est Xenophontis,) ex cœlestium cognitione, vt stellarum, æquinoctiorum, eclipsium, & huiusmodi, animę immortalitatem, hominis dignitatem & deificationem argumentatur: & nos plura in Antimachiauellismo: Ouidius autem contestatur, ad astronomos loquendo,

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inq. domos supcras scandere, cura fuit.

Admo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Admouere oculis distantia sydera nostris:
Aetheraq; ingenio supposuere suo.

Quæ laudes maxime præ cæteris Galileo conueniunt, vt alibi palam fecimus. Omitto, quæ Iosephus & Philo de scientijs physicis & cœlestibus dicunt, quæque Berosus in Noe & Abrahamo hoc nomine notat: & quod Patriarcha Iacob per physiologiam se à Labani auaritia liberet & diuitem faciat, vt scriptura testatur: & quod per scientias antiqui patres diuturniorem vitam egerint. Item Deus signa aduentus sui primi posuit in cœlo & in terra. *Adhuc modicum, & ego mouebo cœlum ac terram, & veniet desideratus cunctis gentibus*, dixit in Aggæo. Et nos, ita euenisse, ex excentricitatum & æquinoctiorum & obliquitatis & apogeorum tunc inceptis mutationibus, & nunc tandem patefactis, probauimus in prophetalibus nostris. Et de futuri aduentus signis, in sole & luna & stellis, clarum est euangelium, Luc. 21 Et quia ad non causas extorquent astronomi veteres ista signa, &, vt prophetarat Petrus apostolus, epist. 2. cap. 3. quod viri *illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes dicent in nouissimis* (cum Aristotelicis & Machiauellistis, (*Vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ:* contra hos ego ostendo, non perseuerare sicut ab initio, sed adesse signa in sole & luna & stellis. Quæ & suo tempori proxima esse, per physicum argumentum, ex inferiorum immutatione, S. Gregorius super Luc. 21. recte probauit. Quapropter qui vigilantiam, super cœlestium mutationes & veritates, prohibent, hi volunt, vt dies Dei, sicut fur in nocte, nos comprehendat, sicut cæteros filios tenebrarum, vt S. Paulus, 1. Thess. 5. docuit, & monet, vt vigilemus, nec simus noctis filij. Vigilat autem, qui data signa in sole & luna & stellis contemplatur; non qui sunt sicut Iudæi olim spretis signis de stella Balaam incidentes in lapidem offensionis, vt Augustinus monet. Ergo sicut Apostolis præ cæteris credimus in scriptura, naturæ libro primo, ita Dauid propterea de his dixit: *In omnem terram exiuit sonus eorum; & non sunt loquelæ, &c.* & Paulus idem de Apostolis repetit, Rom. 5. Concordant enim codices Dei vtrique alter alteri.

Probatur assertio secunda.

NOndum ab aliquo Philosophorum aut theologorum satis digne, aut certe satis, de cœlorum naturis, ordine, situ, quãtitate, motu, & con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

figurationibus, deque vniuersi constructione dictum esse, imo nec exacte dici posse, probatur ex scripturis sacris, ac diuersitate hypothesium inter sapientes. Et primo Iob. 38. dicitur: *Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* Et paulo inferius: *Quis enarrabit cœlorum rationem?* Deinde Salomon quoque, Eccles. 9. *Mundum*, ait, *tradidit Deus disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsq; ad finem.* Et cap 8. eadem ac plura repetit.

Quapropter delirant, qui putant, ab Aristotele constitutam esse veritatem de cœlestibus, & nihil amplius inuestigandum. Aristot. enim in 2. de cœlo, sicuti ab Ægyptijs acceperat, scribit, octo esse sphæras, adnumerando stellatã; & hanc esse primũ mobile, quod moueat 24. horis omnes sphæras planetarum, cõtra ipsarum inclinationem ab ortu in occasum, motu violento, quando ipsę naturali motu feruntur ab occasu ab ortum itineribus paucissimis: nam luna non nisi 12. gradibus ex 360. quos absoluunt omnes spæræ per violentiam in motu diario. Deinde in 12. metaphys. non à prima sphæra alias rapi vult, sed quamlibet à sua intelligentia; multiplicatq; tot intelligentias, quod sunt apparentiæ, & motus; nec tamen reddit causas apparentiarum, vt fatentur S. Thomas & Simplicius & alij expositores: & ponit bellum inter Deum & angelos, quippe cum hi moueant contra motum illius, & dum imitari dicuntur contrarium faciunt: similiter inter angelos; nam alius ad ortum, alias ad occasum, alius ad boream, alius ad austrum, contra mouere nituntur: & alios mouentes ponit, & totidem reluctantes, ita vt nedum violentiam cœlo, & etiam in angelis, aut discordiam aut lassitudinem in mouẽdo ponat, sed nec, cur sursum aliquando, aliquando deorsum magis moueri astra videantur, nec cur stationarij, veloces, retrogradi & tardi fiant planetæ, nec de mutatione excentricitatum & apogæorum & æquinoctiorum, vllam reddat, aut reddere possit causam, quum cœlum de quinta essentia componat; Nec ergo cur Mars infra solis sphæram descẽdere Tychoni acronychius spectetur, nec quomodo nubeculæ in sole, & sydera noua in sphæra stellata, & cometæ supra lunã possint fieri. Vnde oportet omnino falsam esse eius astronomiam, quæ ista non admittat, sensu & instrumentis certissimis comprobata. Indeq; S. Basilius & Ambrosius hæreticos censent eos, qui cœlum de quinta essentia cum Aristotele faciunt, & solem negant esse formaliter calidum, vt infra docebimus, & in nostris quæstionibus pro philo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

philosophia sanctorum demonstrauimus. Omitto, quod solem immediate supra lunam ponit; quod D. Thomas, & sequaces ipsius Aristotelis, docent esse falsum. Aristoteles quoque fatetur, se nescire de cœlestibus quicquam; & fortioribus in hac scientia curam committit inuestigandi; vt patet in 12. Metaphys. quęq; ipse ponit, ea sese à Calippo & Eudoxo accepisse confitetur: nec addidit aliud nisi reuoluentes orbes, qui pugnam inter angelos accumulant. Omitto impietates, quæ ex quinta essentia & æternitate motus cœli sequuntur. Nam D. Thomas & expositores Christiani hoc facile declarant: & rationibus respondet ille in lect. 10. vbi firmissime æternitatem motus, non problematice, tenuisse illic Aristotelem docet D. Thomas alioquin non datur ipsi Deus: vnde & Atheistas nos facit, qui æternitatem motus negamus: Et D. Thomas respondet cõtra. Quare nõ satis mirari queo quosdam theologastros, qui metas ingenijs hominum ponunt scripta Aristotelis. Quod neq; Ptolemæus veritatem sit assequutus, docent noua phænomena, de quibus per eius dogmata non potest reddi ratio, nec discordia inter cęlestia tollitur. Omitto errores à Copernico deprehensos in mathematicis, videl. quod fiat motus regularis in sphæra super alieno centro, & alia. Propterea Thebit & rex Alfõsus inuenerũt librationes & nouas sphæras. Copernicus vero & hos deceptos demonstrat, & ad antiquorum Pythagoreorũ dogmata recurrit, vnde apparentiarum rationes melius redduntur. Galileus vero vltra hæc deprehendit nouos planetas, & systemata, & passiones cœli ignotas. Quare insaniunt indoctissime, qui putant de cęlestibus satis esse, quæ patefacta sunt ab Aristotele; qui nihil de suo dixit, vt ipsemet fatetur, & alios inuestigare plura iubet: & posteriores incerti adhuc digladiantur.

APPENDIX. Sed dicet quis. Si pro dignitate & veritate dari de cœlestibus doctrina nequit, vt Iob ait: ergo melius est quiescere, quam vltra frustra inquirere. Verum dico, sed inquisitio hæc vlterior non facit hominem hæreticum, vti volunt, sed vanũ fortasse. At quod non sit vana vlterior inuestigatio, docet naturale desideriũ semper plura discendi. Item S. Ber. in 4. & 5. de considerat. ad Eugeniũ: *Quamuis*, inquit, *quid sit Deus non inueniatur, tamẽ fructuosissime semper quæritur*. Studiũ autẽ in rebus cęlestibus & propter Deũ, quẽ semper inuestigare iubemur. Nã etsi perfecte Deũ non attrectamus, vt ait Paul. ad Athen. quẽ quærere debemus, tamẽ semper aliquid plus inuenimus, vnde paulatim deificamur. Et prestat (ait

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Aristot. in 1. de anima,) pauca de magnis rebus scire probabiliter, quam multa de paruis demõstratiue. Vnde plura inuenere Ægyptij post Chaldæos in cœlestibus; plura postmodum Græci; & nunc plura Germani & Itali. Indeq; stupere est, quantas pandat Galileus scenas, in quibus Deus sapientiæ & potentiæ & amoris sui diuitias repræsentat. Et S. Leo, Antonius, Bern. Chrysost. & alij dicunt, mundum esse codicem Dei, cui oporteat nos insudare. Vnde in quodam sermone Bernardus, quibus non datur gratia inquirendi Deum in supernaturalibus, ijs inquirendũ eum esse docet in naturalibus: ex his enim ad illa erigimur. Idem probat luculenter Richardus de S. Victore in libris Beniamin, serm. de contemplatione. Ratio etiam id suadet. Si enim propter sui gloriã ista creauit Deus, vt ait Salomon, vult profecto nos ea admirari, laudareq; & celebrare ex his autorem Deum: sicut pictor & poeta sapiens suas ipsorum picturas & carmina legi volunt, & artis excellentiam inde agnosci, artificem q̃ laudari. Adde quod in his animi diuinitas ostenditur magis, & acquiritur, vt dictum est. Non ergo vana inquisitio. Quapropter inuidi sunt, aut ingenio & fide in Deum exigui, qui putant in Aristotele & alijs philosophis antiquis esse quiescendum, nec vltra quærendum, præsertim post euangelij lucem & noui orbis ac stellarum inuentionem, qua prisci caruerunt sicut & luce fidei; quæ perficit in nobis naturam supra ethnicos, nõ deprimit sub eorum iugo; cum eorum philosophia sit catechismus, & nostra sit perfecta doctrina, teste Cyrillo: vnde in mundo, qui est liber Dei & sapientia, melius legere poterimus, si gratiam, quæ est in nobis, non negligamus: & hoc dico cæteris paribus. Non enim rusticum ingenium Christiani adæquamus ingenio Platonis; sed ingenia nasci, quale fuit in Platone & alijs, ostendimus; quæ post euangelium plus proficere in scientijs valẽt quam Plato & alij. Et hoc Plato in Hippia etiam dixit, quod recentiores non cedant priscis, nisi ob inuidiam viuorum, & veneration em mortuorum. At neque desistendum, iterum probatur ex eo, quod Deus bonus est quærenti se, vt ait Hieremias; & semper noua reuelat, vt visum est supra: & dixit S. Bernardo; dum ista retines, aliud non accipies. Non ergo frustra semper quærimus. Et S. Leo ait: Qui putat se inuenisse, non reperit quæsita, sed in inquisitione defecit circa diuina.

(·.·)

Proba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Probatur assertio tertia.

QVod autem physiologiæ & astronomiæ metam nec Christus nec Moyses posuerint, postquam vidimus quod prisci philosophi id non præstiterint, nunc facile declaramus. Nam in euangelio Christus nunquam de physicis & astronomicis disputasse legitur, sed de moralibus, & promissionibus vitæ æternæ: cuius viam exemplo & doctrina & sanguine patefecit. Profecto etiam superfluum id fuisset. Si enim in origine mundi tradidit Deus mundum disputationi hominum, vt operarentur & cognoscerent Deum per ea quæ facta sunt; & vt hoc possimus, mentem rationalem nobis infudit, & vias inuestigandi quinque sensoria patefecit illi quasi fenestras, vt docet Petrus apostolus apud Sanctum Clementem, per quas mundum, Dei statuam, aspiceret & quæ in ea sunt admiraretur, & artificem Deum quereret, quod & Chrysostomus super Psalm. 147. & alibi sæpe declarat, naturalia autem per originale peccatum non amiserimus, vt theologi omnes contestantur; ergo superfluum fuisset, eum qui venit redimere nos à peccatis, docere iterum, quæ per nos discere debemus & possumus. Vnde nec apostolis ita docenda mandauit, sed baptizare & docere, quæ ipse fecerat & docuerat, Matt. vltimo, & probare per miracula & martyrium, Marc. vltimo. Vnde Bernardus in sermone de Petro & Paulo ait: *Non docuerunt apostoli piscatoriam artem, aut scenofactoriam, neque aliquid huiusmodi; non Platonem legere, non Aristotelis versutias inuersare, &c. sed viuere me docuerunt, &c.* Item S. Clemens in 1 recognit. introduct Barnabam interrogatum à philosopho Romano, cur exiguus culex sex pedibus à natura donatus sit, elephas autem tam magnus quatuor tantum; respondisse: se à Christo in mandatis habere doctrinam regni cœlorum non autem physicarum rerum quæ naturaliter inuestigari possunt. Nec reprobarunt apostoli philosophiam, cum Christus potius cõmendet Pharisæos, quod ex cœli facie de pluuijs & serenitate prognosticarentur; licet condemnet, quod tempus Messiæ ex scripturis non agnoscerent eodem modo; vt etiam conqueritur Ieremiæ 10.

Quod autem nec Moyses præscripserit fines in scientijs humanis, nec Deus physiologiam per eum docuerit aut astronomiam, palam est. Quoniam Salomon ait, Deum tradidisse mundum disputationi hominum; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ipſe inueſtigauit diligenter de omnibus rebus, naturam inſpectando, nõ ſaltem Moyſis codicem. Qui Moyſes de cœli & terræ & cunctarum rerum creatione & ornatu dixit aliqua ſummatim, quatenus legislatori, non phyſiologo, deſeruirent. Vt enim oſtẽderet eũdem Deum, qui ſibi legem dederat, creatorem & gubernatorem mundi, à creatione incipit, & per gubernationem incedit, & ad particularem gubernandi modum per legẽ ſibi datam deuenit. Idem probatur ex omnium patrum teſtimonio: qui inſuper addunt Moyſen populari ſtylo vſum, non philoſophico; & potius iuxta ſenſum plebis, quam iuxta philoſophicum intellectum. Vnde cum eſſet mirificus in omni ſcientia, diuina & humana, imbutus omni ſapientia Ægyptiorum, vt dicitur Act. 7. & Philo ac Ioſephus probãt; ſic populo ſatisfecit, vt tamẽ philoſophis ſatisfeceret. Namque omnia non ſolum ex verbis, ſed ex factis, intelligenda dedit eis, qui myſtice intelligũt: vt patet in conſtructione tabernaculi adinſtar cœleſtium, & de candelabro vbi ſeptem planetæ, & de veſtibus Aaronis vbi totus orbis terrarũ & magnalia parentum figurata erant, vt dicit Salomon Sapient. 18. & probat Paulus ad Hebræos, & Rabbini. Quapropter Auguſtinus & Chryſoſtomus docent, Moyſen angelorum creationem tacuiſſe, quod rudes populi non potuerint intelligere res incorporeas; ac, cum proni eſſent ad idololatriam; ne illos adorarent: interim, cum dixit faciendo cœlum, *fiat lux*, de angelis intelligi poſſe apud ſapientes: Item nec de materia plebi mentionem eũ feciſſe, ſed aquæ & terræ nomine apud doctos intelligi poſſe. Item poſuit ſex dies Moyſes in creatione qui Auguſtino non ſunt phyſici, ſicut ceteris patribus, ſed angelici. Item D. Thomas in q. 68. p. p. docet, nec de aëre mẽtionem feciſſe Moyſen, quoniam populo rudi nihil ignotum proponere voluerit: eſt autẽ ignotum populo, an aër ſit corpus, quoniam inuiſibilis, ſed per tenebras ſuper faciem abyſſi inſinuari. Sic omnes patres textum Moyſis ad philoſophiam trahentes, pari conſenſu excuſant eius modũ loquendi ex populi incapacitate. Vnde Anaſtaſius epiſcopus, ad ſenſuum allegoriam magis inſpexiſſe Moyſen, in ſuis allegorijs ſuper Moyſen oſtendit. Tandem Chryſoſtomus, huius prudentiæ Moſaicæ præco maximus, cum allegoriarum ſit fere hoſtis, & ad literalem ſenſum fere omnia reducat, & moralem; tamen in hoc libro fatetur, Moyſen in cunctis fere verbis rudi populo ſermonem attemperaſſe; & præcipue, quando Moyſes ait, Deũ feciſſe duo luminaria magna, quum enim luna

ſtellis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ſtellis multis terraq; ſit minor, dicitur luminare maius propter effectum erga nos, & quia ad ſenſum maior apparet. Et D. Thomas in q. 70. art. 1. oſtendit, Moyſen ſequutum eſſe ſenſum heic vulgarem in loquendo, ſicuti in cæteris, non autem rationem; ratio enim lunam minorem facit & idē dicit in ſtellarum & cœli motu; & quoniam motus luminarium ſit ſenſui obuius non autem ſphærarum, non dixiſſe de his quod moueantur; quod dicendum fuerat, ſi vera eſt Ariſtotelis ſententia. Vide reſp. ad 3. & ad 5. Quamobrem qui vellet condemnare aſtronomos, quod ponant lunam plurimis ſtellis minorem, & tertiam telluris partem fere, & lucere lumine non propterea quod Moyſes vocet eam luminare magnum; is ridiculus eſſet, & ignoranter impius, vt mox declarabimus in aſſertione quinta.

Probatur aſſertio quarta.

QVoniam omnis hominum ſecta, aut lex, quę naturalium rerum inueſtigationem ſuis vetat ſequacibus, falſitatis nomine ſuſpecta haberi debet. Cū enim veritas veritati non contradicat, vt habetur in cōcilio Lateranenſi ſub Leonæ X. & alibi, nec liber ſapientiæ Dei creantis libro ſapientiæ Dei reuelantis; qui timet à naturalibus contradictionem, proprię falſitatis eſt cōſcius. Propterea enim omnes fatemur, Machometanis ob id ſcientias eſſe prohibitas. Nā quando Mauri philoſophabantur, plurimi eorū, detecta fraude, cōtra fidem Machometanā ſcripſerunt, vt Auerroes, Auicenna, Alfarabius, Haly, Albenragel, Albumaſar, & alij philoſophi & aſtronomi, vt in Antimachiauelliſmo oſtendimus. Propterea quidam rex Maurorū, vt Boterus narrat, ſcientias ſuis prohibuit · idemq; ſeruāt reges Turcarū. Item apud gentiles cautū lege erat, ne de dijs inueſtigatio curioſa fieret. Idcircoque Plato in Timæo admonet, de dijs ſic loquendum, vt legislatores & dij volunt; cum tamen eius teſſera vnum modo Deum vellet. Et Chryſoſtomus, ſuper epiſtolā ad Romanos, condemnat Socratem, quod cū deorū falſitatem noſſet, tamen moriens dixerit, Gallū debemus Æſculapio: de quo Plato in Phædone. Item Athenienſes Anaxagorā & Socratem & Ariſtotelem & alios philoſophos perſequuti ſunt ad necem, quoniā de dijs inquirere, quod lex vetarat, auſi fuere. Eos veritatē de Deo agnouiſſe, apoſtolus teſtatur, & Cicero, & Cato apud Lucanū, & alij multi. Igitur qui volunt, lege Chriſtiana vetari veras ſcientias, & ſtudia, & inquiſitionem rerum phyſicarum ac cœleſtium; hi vel male ſentiunt de Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Christianismo,vel,vt alij male suspicentur,sunt causa. Porro si veraciter lex Christiana omnibus est plenissima veritatibus, nullius mendacij particeps;non modò à contemplantibus nihil metuit, sed testimonium ab eis inuenit. Hoc diuus Thom. in 1. contra gentiles, & in opusc. contra impugnantes religionem, contra eos qui philosophiam & alias scientias in monachis damnabant,dicere videtur. Idem probat ratione in 1. q. 1. & iterum ex autoritate Salomonis, Prouerb. 9. quod *sapientia*,id est,theologia,*mittat ancillas suas*,id est,scientias, *vt vocarent ad arcem &c.* Non ergo fugat scientias,sed vtitur eis ad conuocandos homines in regnum cœlorum;quoniam sibi sunt ancillę,& veraciter seruiunt, non contradicunt. Nam quæ contradicunt,scientię non sunt,sed phantasiæ philosophorum vanorum,vt docemur ex concilio Lateranensi,& in Niceno 2. & in articulis Lutetiæ damnatis. Item quod iubeat,non vetet scientias, iterum probatur ex eo quod Christus,1. Cor.3. est Dei virtus & Dei sapientia. Vt autem dicitur Eccles. 1. Omnis sapientia à domino Deo est, & radix sapientiæ verbum Dei. Qui ergo Christiani sunt, ijdem sunt sapientes & rationales. Verbum enim Dei est ratio summa, à qua dicimur rationales per participationem. Et tales nos Christus esse vult,opere & veritate sibi persimilimos. Quamobrem qui generaliter dicunt,non esse plus sapiendum, nec quæritandum in ratiocinio, nisi quæ ab alijs hominibus habemus,ij Christiani quodammodo non sunt,& Christo contradicunt,eiusque similitudinem nobis minuunt. Terminant enim opera sapientię Dei intra pugillum cerebri vnius hominis;& ingenio humano, non Christo, captiuant intellectum, vt vult Paulus, qui omnes tyrannos & sapientes huius mundi & omnem intellectum subijcit Christo,2. Corint.10. In cuius compedes nostros pedes inijcit Ecclesiasticus,& in torquem collum. Qui autem in Aristotelis aut Ptolomæi aut alterius compedes nos includunt,vt Auerroistæ,à quo non est innoxius Antonius Mirandulanus;putantes,meliora ingenia Deum non amplius facere, aut eorum dictis nos ligant,& scripturarum sensum ad eorum dicta torquent,& non ex rerum natura,qui est liber Dei,Dei scripturam longe melius declarans;hi Christiani vere non sunt. Latissima est sapientia Dei, non coarctata ingenio vnius hominis: & quanto plus quæritur, tanto plus inuenitur in ea;imo agnoscitur quod nihil sciamus,cum tot tantaque ignorare didicerimus. Et hanc scientiam Salomon in Eccles. vidit,& apostolus commendat, &

Socra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Socrates in se intellexit. Nec, qui putant se scire, quoniam Aristotelem sciunt, aut aliqua noua de mundo, Dei libro, vt Galilæus, hi sciunt, quomodo oporteat eos scire; nec vere sapientes sunt, nisi sciant, longe plurima sese ignorare, nec ab inuestigatione, quasi sciuerimus, desistendum; vt S. Leo monet, & Ecclesiasticus c. 42. & 43. Quasi enim scintilla est quod scimus. Legitur ergo sapientia in toto Dei codice, qui est mundus: & semper plus inuenitur. Ad illum igitur, non ad hominum codicillos, nos remittunt scriptores sacri. Vtimur tantum doctrinis gentilium, quatenus rationales sunt à ratione prima Christo. Et quamuis illi supernaturalibus non credant, non propterea in naturalibus non sunt participes Christi. Et idcirco auferendum ab eis, si quid boni dicunt; (ait Augustinus 2. de doct. Christi.) tanquam ab iniustis possessoribus; qui eum veritatem cognouissent, non honorificauerunt; ideoque meruerunt fidem non accipere supernaturalem. Agnoscimus tamen in eis quod Christi est: sed nostrates præferimus. Nam gratia perficit naturam, etiam in naturalibus, vt docent patres, & D. Thom. 2. 2. Ergo habiliores sunt Christiani ad veritates inuestigandas, quam ethnici, si cætera sunt paria. Iniuriam itaque Christo facit, qui ethnico se subijcit. *Sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix*, dicit Propheta. Hoc Hieronymus intellexit de his, qui sapientiæ secularium se prosternunt. Propterea in epist. ad Pammachium, ex figura testamenti veteris, *Si amauerit*, inquit, *mulierem alienigenam, hoc est, scientiam secularem gentilium, rasa eius capillos, & vngues laua, &c.* Et hunc modum in Concilio Lateranen. docemur. Et in quæstione nostra, vtrum expediat nouam cudere philosophiam, ostendimus, quod hoc tempore, quando superbit ancilla supra dominam theologiam, explodenda sit sicut Agar. Et quia filij Israel ex parte Iudaice, & ex parte loquuntur Azotice. Abijciendæ sunt, vt iubet Esdras, vxores alienigenæ, & capiendæ de filijs Iuda, hoc est, de doctrinis sanctorum; & de mundo, Dei codice, sunt reficiendæ scientiæ, vt nos fecimus, & Galilæus facere non cessat. S. Thomas etiam 1. quæst. 1. ait, quod gentiles tanquam testes contra seipsos, non tanquam iudices, nec vt testes contra nos, citentur in scholis theologorum. Mirum igitur, quod pro magistris habentur, (vt Bembus stupet,) etiam theologorum. Absit hoc.

Ergo qui vetant Christianis philosophiam, quid sit Christianum esse; non intelligunt; & sunt similes Iuliano Imperatori, qui ex fide apostatauit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

tauit,& interdixit Christianis omnes scientias; vt suis ancillis destituta theologia, non posset vocare homines ad mœnia ciuitatis Dei. Et hoc etiam D. Thomas in eodem libello considerat. Quid nunc vocaret eos qui prohibent nos philosophari in libro Christi, qui est mundus, cum Iulianistas faciat eos, qui monachis in libris secularium legere prohibitum esse volebant? Excusationẽ non habent à scriptura Dei. Non enim illud, *Nolite sapere plusquã oportet*, &, *Qui videtur sibi sapiens esse, stultus fiat*, est contra nos, sed pro nobis. Non equidẽ studium vetat philosophandi sed nõ philosophandi vltra, quasi omnia sciuerimus, & sapientiã ex proprio arbitratu supra reuelatã doctrinam se erigentem, & metientẽ suo modulo diuina dogmata, vt faciunt gentiles & hæretici & qui ponunt scripturarum lucernam sub modio Aristotelico. Vnde in libro Iob, contra prudentiam humanam multa dicuntur, & in Isaia contra Astrologiam. Constat autem, prudentiam esse diuinissimam virtutem, & astrologiam scientiam vtilissimam, vt Hieronymus docet in prologo bibliorum. Ergo prohibetur prudentia humana, quando supra diuinam exaltatur Machiauellistice; & quando putat, se proprio studio assequi posse, quod supra naturam est, & non postulat à Deo: similiter & astrologia, quæ supra prophetas in Babylone se erigebat, & præsumebat futura contingentia certo prænuntiare; non autem quæ prophetiæ subijcitur, & sapit ad sobrietatem coniecturaliter de futuris. Et sic dicito de scientijs alijs.

APPENDIX. Ad gloriam Christianæ religionis nõ modo spectat, permittere studium inueniendi nouas scientias, veteresq; renouandi, ita vt non indigeamus vngues & capillos alienigenarum resecare, sed etiam spectat facere, ne semper Machiauellus & Iulianus insultent nobis, quod Christi, sapientiæ Dei spectatores cum simus, tamen scientias à gentilibus per nos damnatas mendicamus, quasi faciendo illos nobis meliores. Cui argumento supra ex Augustino respondimus; & prolixius in Antimachiauellismo, vbi etiam subiecimus, quod approbatio scientiarum in Christianismo sit vinculum magnum inter alia, quæ me retinent in ecclesia Dei: credo quod & alios: cur illud nunc rumpamus.

(·.·)

Proba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Probatur assertio quinta.

SI ergo libertas Philosophandi plus viget in Christianismo, quam in cæteris nationibus, vt probatum est; quicunque philosophantibus leges & metas præscribit ex proprio arbitratu, tãquam ex S. Scripturæ decretis, non aliter sentiendum docens ac ipse sentit, & scripturas vni tantum sensui sui ipsius aut alterius philosophi subijcit & coarctat; is non modo irrationabiliter & pernicioſe, sed etiam impie se habet: quippe quia scripturas sanctas ludibrio philosophorum & irrisionibus gentilium ac hæreticorum exponit; quibus etiam aditum ad fidem præcludit, nec vocat ad arcem, sed euocat ab arce fidei; infideles; & spiritui sancto simul iniuriam facit. Cuius sermo cum sit prægnantissimus & fœcundissimus, (teste Augustino de doct. Christiana, & Chrysostomo super psalmos, Ambrosio & Origene in omnibus operibus ipsorum, & Gregor. 15. moral.) redditur hac de causa sterilissimus. Fœcundissimus autem est non solum in sensu mystico, sed etiam in litterali, vt August. docet in 1. de trinit. & D. Thomas in 1. q. 1. art. 10. & Caietanus Cardinalis ibidem. Patitur enim omnes sensus & expositiones, quæ alijs scripturæ textibus non contradicunt directe vel indirecte, vt habetur in q 32. art. 4.

Huiusmodi præterea multiplicis expositionis eam reddit causam D. Thom. opusc. 10. q. 18. quam pridem dixerat Augustinus 1. super. Gen. ad lit. *Multis*, inquiens, *exitibus sacræ scripturæ verba exponuntur, vt se ab irrisione cohibeant inflati literis secularibus.* In lib. vero de trinit. vt varijs vijs cauilli hæreticorum eludantur, idem fieri docet. Item D. Thomas in eiusdem opuscul. procemio: *Hoc in principio protestor, quod plures horum articulorum ad fidei doctrinam non pertinent, sed magis ad philosophorum dogmata. Multum autem nocet talia, quæ ad pietatis doctrinam non spectant, asserere vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam. Dicit enim Augustinus in 5. Confess. Cum audio Christianum aliquem ista (scilicet quæ philosophi de cælo & stellis & de solis lunæq; motibus dixerunt) nescientem, & aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem: nec illi obesse video, quum de te, Domine creator omnium, non credat indigna, si forte situs & habitus creaturæ ignoret: obest autem, si hæc ad pietatis doctrinam pertinere arbitretur, & pertinacius affirmare audeat, quod ignorat. Quod autem obsit manifeste,* (subsequitur D. Thom.) *manifestat*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

feſtat idem Auguſtinus 1. *ſuper Geneſ. ad litteram. Turpe eſt, inquit, nimis, & pernitioſum, ac maxime cauendum, vt ne Chriſtianum de his rebus, quaſi ſecundum Chriſtianas literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, &, quemadmodum dicitur, toto cœlo aberrare conſpiciens, riſum tenere vix poßit. Et non tam moleſtum eſt, quod errans homo videatur, ſed quod autores noſtri talia ſenſiſſe creduntur ab eis, qui foris ſunt, & cum magno eorum exitio de quorum ſalute ſat agimus, tanquam indocti reprehenduntur. Vnde mihi videtur tutius eſſe, vt hæc quæ philoſophi communes ſenſerunt & noſtræ fidei non repugnant, neque eſſe aſſerenda exiſtimemus vt dogmata fidei, licet aliquando ſub nomine philoſophorum introducantur, neque ſic eſſe neganda tanquam fidei contraria, ne ſapientibus huius mundi contemnendi doctrinam fidei occaſio præbeatur.* Hæc D. Thomas cum S. Auguſtino. Ex quibus patet, quam imperite, & contra patrum decreta, recentiores quidam Ariſtoteliſmum, quaſi de fide eſſet, defendant, propterea quod D. Thomas Ariſtotelem expoſuerit; quum hic omnino contrarium doceat, vt in reſponſ. etiam ad argumenta plenius videbimus. Ergo Vlyſſes Albergettus de his eſt, volens lunam proprio lucere lumine, quia ſcriptura dicat, *luna non dabit lumen ſuum*, faciens vim in ly *ſuum*; quod multas tamen patitur expoſitiones. Sed quid mirum, quando & ipſe Auguſtinus & alij patres ſic errauerunt, non in vniuerſali quam docuerunt, ſed in particulari huius ſyllogiſmi propoſitione deficientes. Lactantius Firmianus enim prius in lib 3. cap. 25. & Auguſtinus in 16. de ciuit. Dei conſtanter affirmant, antipodas non exſtare, quia illi homines ex Adam non venerint origine, quod eſt contra ſcripturam, facientem ex vno omne genus hominum: Addunt & rationes phyſicas. Procopius Gazæus anno Domini 500. contexuit catenam expoſitionum ſuper S. Scripturas ex omnium patrum monumentis; & probat, antipodas non exſtare. Et ex eorum dictis & autoritatibus ſacræ Scripturæ S. Ephrem in toto altero hemiſphærio, à Columbo inuento, paradiſum terreſtrem ponit. Et quidem pro hæreticis habētur apud patres quoſdam, qui antipodas ponunt. Nihilominus eorū aſſertio contraria veritati per nauigantes panditur. Vnde ſi vere contrarium ſcripturis Dei eſt, exſtare antipodas, vt illi dixerūt, aut paradiſum terreſtrem illic eſſe aut inferos & purgatorium, vt Danthes, Iſidorus & alij opinati ſunt; ſequitur quod veritas iam propalata per columbum ſit contraria ſcripturis Dei aut diſſona. Præterea idem Procopius & alij putabant, terram eſſe ſuper aquas fundatam & ei innata-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

innatare, quod olim Xenophanes philosophus dixerat: quã opinionem probant è scripturis, dicente Dauid: *Qui firmauit terram super aquas*, in Ps. 135. & in Ps. 123. *Super maria fundauit eam.* Nihilominus nunc pensilis apparet in medio mundi, seipsam sustentans & aquas, & non ab aquis sustentata deorsum, vt ipsi credebant. Neque enim datur deorsum secundum naturam, nisi centrum, secundum cuiusque systematis conseruationem, contendentibus partibus ad centrum, vt vnio totius & conseruatio celebretur: vnde etiam partes solis ponderant ad centrum solis, & partes lunę ad centrum lunæ; Quod anxie torsit S. Ambrosium, ne motus cœli sit cõpositus ex eleuatione aut depressione, vnde inclinabat ad quietem eius cum Chrysostomo & alijs patribus. Quæ tamen argumẽta in mathematicis parui sunt momenti. Vide, quam pernicioſum sit ista affirmare, quasi sint de fide. Philastrius episcopus quædam de fide esse pronunciat, quæ sunt contraria fidei; vt, quod tantus sit numerus annorum mundi, quantus ab ipso ponitur; & quod, quando Deus inspirauit Adamo spiraculum vitæ, non dederit ei animam, sed spiritum sanctum; & tamen à catholicis & hæreticis irridetur in vtroque asserto. Cautior fuit Beda, quod hydropisis sit morb. ex vitio vesicæ natus; & D. Thomas, quod sub æquatore non possint habitare homines, Aristotelis autoritate motus, quamuis Albertus & Auicenna contrarium senserint: nam non quasi de fide ista protulerunt, cum posset allegare D. Thomas gladium flammeum; & nũc geographia & medicina redarguit eos, sed absque periculo fidei. Fœdius errarunt, qui zonam torridam esse gladium flammeum angeli custodiẽtis viam paradisi docent; cum iam nihil impedimenti viatoribus & nauigãtibus zonam illam afferre compertum sit. Quid dicent Ethnici & Machometistæ, quando ista, tanquam ex scripturis nobis posita, audiũt? Nos possemus in Machometum retorquere, quod sub ista terra ponat alias septem terras, & bouem, & piscem, cuius caput in oriente, & cauda in occasu, sustinentes has tellures. Sed leuis est consolatio, aliorum errorem pandere, quando & vbi & nos etiam erramus.

Quas ob res si Galileus vicerit, non modicam irrisionem comparabũt Romanæ fidei nostri theologi apud hæreticos, quum iam omnes hanc doctrinam & telescopium auide amplexati sint in Germania, Gallia, Anglia, Polonia, Dania, Suecia, &c. Si autem falsa sit Galilei sententia, nil incommodabit theologicæ doctrinæ. Non enim omne falsum est contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

fidem in ecclesia militanti, quemadmodum fortassis est in triumphanti. Alioquin errores in physiologia sanctorum, deprehensi, eos hæreticos esse probarent. Item si falsa inuenietur, non perdurabit. Quapropter arbitror, non debere hunc philosophandi modum vetari; tum quia auidius ab hæreticis amplexabitur, & nos irridebimur scimus, quantopere conquesti sint Vltramontani ob determinationes quasdam in Concilio Tridentino factas: Quid facient, cum contra physicos & astronomos nos insurgere audient? Nonne statim acclamabunt, quod naturæ, nedum scripturæ, vim inferamus. Scit hæc Cardinalis Bellarminus, Tum quia Augustinus & Thomas sentiunt, vt probatum est, permitti debere, sicut permittitur dicere, cœlum esse de quinta essentia, & dies à planetatum dominijs nominari, vt notat D. Thomas in opusc. 10. art. 39. sicut in proœmio definierat.

Probatur assertio sexta.

SExta assertio non indiget alia probatione. Palam enim est, quod nisi euidenter directe vel indirecte repugnet scripturis sacris, aut decretis Ecclesiasticis, non sit falsitas contra doctrinam catholicam, & vt D. Thomas & Augustinus in assertione 4. allegata dixerunt, in his retinendis sit assensus, & non temere pronunciandum intra Ecclesiam. Ex dictis patet, quod doctores theologi multos errores amplexi sint ex philosophia gentili, vt illud de terra super aquas ex Xenophane; & quod antipodes nõ exstẽt, & sol per boreales terræ partes noctu feratur & propter montes nõ videatur, vt Aristot. 2. met. testatur; & quod sub zona torrida non sit habitatio; & quod paradisus terrestris sit in insulis fortunatis, aut in oriente apud Chinenses, aut prope lunam; & alia huiusmodi: nec tamen sint hæretici post detectam falsitatem. Et falsitas in Galileo deprehendi non potest. quoniã ex obseruationibus sensatis in libro mundano procedit, non ex opinione: neque loquitur tanquam de fide, vt deprehensus ipse irrideri & cum eo scriptura possit. Sed hæc in solutione argumentorum, vbi, quam pernicioſa magis ex Aristotele recepta sint, etiam docebimus, absque fidei incommodatione.

(·.·)

Hypo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Hypotheſis tertia.

HÆc oportet ſcire pro fundamentis, quicunque iudex eſſe velit in hac cauſa. Et quoniam de ſcripturæ ſanctæ phyſiologia controuerſia eſt præſens, qui iudex eſſe cupit, debet, vt ex prædictis habetur, modum exponẽdi ſcripturarum ſanctarum ſenſus myſticos & litterales omnes callere, ſecundum ſanctorum patrum expoſitionem & naturæ codicem, per omnes ſcientias, præcipue phyſicas, & mathematicas obſeruationes. Siquidem ſcriptura, quæ eſt liber Dei, ſacro libro Dei, qui eſt natura, non contradicit. Hunc autem per oculatiſſimum hominem, per omnes ſciẽtias verſatum, oportet legi, vt vtriuſq; libri concordias apparentes, & diſcordias latẽtes, examinare poſsit; Nec, prout Ariſtoteles aut alius decernit, interpretari vtrumque, ſed omnium philoſophorum dogmata ſcire, & ſicut legimus, in vtroq; libro Dei, proprijs ſenſibus & patrum ſpiritu & eccleſiæ ſanctæ fœcundiſſimo intellectu exponere debemus, ab omni inuidia & paſſione alieni, quæ iudicium obnubilant & torquent: ne ſimus de illorum iudiciũ numero, quos Horatius ſigillat, de contemporaneo propterea male ſentiente:

Aut quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt;
Aut quia turpe putant, parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Et S. Hieronymus in epiſt. ad Magnum, cũ declaraſſet, omnium philoſophorum diſciplinis fuiſſe adornatos ſcriptores ſanctos, addidit: *Quæſo vt ſuadeas eis,* (qui ſuper prædictis eum reprehendebant) *ne veſcentium dentibus inuideat edentulus, aut oculos caprearum talpa contemnat.* Nõ enim niſi ex inuidia, quod talia ipſi ignorent aut ſcire deſperent, aut iterum fieri diſcipuli vereundentur quum nunc vocẽtur magiſtri, ſublimioribus incommodos modernis ingenijs ſeſe efficiunt.

Concluſio huius capitis tertij.

ERgo probatum eſt, quod nec zelus Dei ſine ſcientia, vt dicebat Bernardus, nec ſcientia ſine zelo Dei poſſit de his iudicare: ac quę ſint ſcienda; & quo pacto zelandum pro Deo, non pro homine, præ oculis haben-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

habèndo illud Num. 11. vbi Ioſue, dum zelatur pro Moyſe ideoque ægre fert quod alij in caſtris prophetarent, audiuit, *Quis det, vt vniuerſus populus prophetet, & det illi dominus ſpiritum ſuum.* Quod nunc diceret longe magis de ſe D. Thomas. Vnde magis erubeſcamus, quod pro Ariſtotele, non pro Moyſe, aut pro D. Thoma craſſe zelantes, noſtros Chriſtianos præ gentilibus philoſophari prohibemus.

CAPVT IV.

Reſpondetur ad argumenta, contra Galileum capite primo propoſita.

Ad primum.

AD primum ergo contra Galileum, reſpondebamus in quæſtione præcedenti vbi examinauimus, an liceat nouam cudere philoſophiam, & Peripateciſmum autoritate ſpoliare. Nunc autem breuiter dicimus, hæreticum eſſe aſſertum, quod theologia fundetur in Ariſtoteliſmo, aut quod indigeat philoſophorum doctrinis ad ſui probationẽ ex parte ſui; ſed tantum ex parte noſtri Ariſtotelem allegari; non vt ſit iudex in theologia, neque teſtis contra nos, ſed teſtis cõtra gentiles ſuos & alios ſophiſtas, & quando vt teſtis eorum quæ in mundo vidit, non vt opinatur, adfertur; quod probatum eſt in ſecunda hypotheſi ex D. Thomæ 1. q. 1. & 1. contra gentil. & opuſc. 10. Et quando D. Thomas videbatur eſſe nimius, contra proprium præceptum, in allegando Ariſtotele, dum theologiam ſcribit, reprehenditur de hoc in articulis Pariſienſibus. Poteſt tamen excuſari nõ inepte, vti nos excuſauimus in quæſtione prædicta. Item ſi quis condemnat Galileum, quia Ariſtoteli aduerſetur, condemnabit prius Auguſtinum, Ambroſium, Baſilium, Euſebium, Origenem, Chryſoſtomum, Iuſtinum, & alios ſanctos Eccleſiæque doctores, qui Ariſtotelem non modo in metaphyſicis ſed & in phyſicis dogmatibus fere cunctis cõdemnarunt, & Platoni potius aut Stoicis fauerunt; vt patet legentibus. Imo S. Iuſtinus, cognomento philoſophus & martyr librum ſcripſit, adtitulatum contra Ariſtotelem. Quapropter neſciunt, quid dicant, & impie errant, (vt probatum eſt in aſſertione quinta hypotheſeos ſecundæ,) qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

qui putant, Aristotelis ruinam in theologiam vel tantillum redundare. Nos autem & contrarium probauimus. Nisi enim eius autoritas euertatur, adhuc nos infestabunt hæreses eius, videlicet 1. quod motus sit æternus, cum alioqui non esset Deus; quod Aristotelem firmiter tenuisse lib. 8. physicorum, & 12. metaphys. etiam D. Thomas ibi, lect. 10. testatur, contraq; ipsum pugnat, nedum Iustinus, & patres alij: Item 2. quod anima sit immortalis, vel vna tantum immortalis in cunctis hominibus: 3. quod Deus inferiora non respiciat: 4. quod contra Angelos moueat: 5. quod post mortem non sit pœna nec præmium: 6. quod inferi sint fabula: 7. quod Deus agat de necessitate: 8. quod fortuna rescindat seriem prouidentiæ: & alia multa, quæ dicit contra fidem, etiam teste D. Thoma, nedum Auerroe, & Alexandro, & cæteris Græcis atque Arabibus. Propterea que à S. Vincentio, & Domino Serafino de firmo, in expositione apocalypseos, vocatur Aristoteles phiala iræ Dei super aquas sapientiæ effusa à tertio angelo. Et Origenes dicit Aristotelem Epicuro peiorem & impium magis, in lib. contra Celsum. Vide etiã quæ & quanta contra eum testentur Augustinus, Ambrosius & Iustinus, qui exponunt Aristotelem in suo sensu. Quapropter miror, quomodo scioli fundari theologiam putent in Aristotele, & hoc S. Thomæ impingant etiam nostri fratres aliqui, ex hoc ipsum laudantes, sicut imposuerunt olim Theologi Parisienses, eum ex hoc reprehendentes; cuius contrarium D. Thomas profitetur & testatur. Cur autem Aristotelem exposuerit, & eo vsus fuerit in bonum fidei, faciendo de veneno theriacam, in articulo præcedenti dictum est.

Galileus autem fidei fundamentis inhæret; & de naturalibus loquitur sobrie, sicut testis obseruationum, non sicut opinator, vti facit Aristoteles de cerebro suo. Quare propter hoc laudandus est. Infirmatio enim infidelium dogmatum & mendaciorum gentilium, est roboratio Christianismi, non euersio theologiæ. Et hoc esse vnum ex his, quæ iudicem scire decet, præfati sumus. Quod autem hæreses ex Aristoteliſmo prodierint, ex Nicephoro & cæteris historicis ecclesiasticis nos alibi ostendimus; vt &, quomodo Aristoteles Auerroista sit officina Machiauelliſmi, & philosophia, quæ sumitur ex mundo Dei libro, ancilletur theologiæ & contestetur, non quæ ex opinante Aristotele aut quouis alio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Ad secundum.

AD 2 respondeo, negando quod Galilei dogmata scholasticis omnibus atque patribus aduersentur. Nam etsi aliquibus eorum non consonāt ad litteram, consonant tamen secundum intentionem. Ipsi enim veritatem sibi anteponendam esse voluerunt; nec de Philosophicis tanquam testes, sed tanquam opinatores & recitatores loquuti sunt. Vnde testes illis præferri debent: sicut Christophorus Columbus nunc præfertur Lactantio, Procopio, Ephremo, alijsq; sanctis doctoribus; & Magellanes S. Thomæ, & Anton. & alijs.

In hoc ego insuper ostendam, *primo* quod theologi quidam amplexati sint Philosophorum dogmata magis pugnantia cum scripturis & sanctis doctoribus, quam sunt dogmata Galilei: *secundo*, quod plerique ex patribus & scholasticis cum Galileo sentiant: *tertio* & scripturam illi magis fauere, quam eius aduersarijs.

Primum probatur. Nam cœlum non esse quintam essentiam, sed ex elementis aut igne solo constitutum, præsertim sydera, omnes philosophi olim docuerunt, & sancti, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Iustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Theodoretus; Bernardus in sermone. *Mulier amicta sole*, & magister sententiarum. Et hoc ex scripturis probat Ambrosi. in hexaem. lib. 4. vbi dicitur, *Cœli peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent.* Idē facit Philoponus, pro Christianis exponendo libros de Cœlo Aristotelis contra Aristotelem. Nihilominus scholastici multi absq; scripturarum, vt dicunt, damno, cœlum de quinta natura faciunt. Quod innumeris in locis Ambrosius, tanquam fictitium, & diabolicum inuentum, detestatur: vt & Iustinus & Basilius. At S. Thomas, qui Aristotelem exposuit, in 1. tamen textum Moysis de operibus sex dierum exponit ad vtramq; partem, & de sententia philosophorum ac patrum, & de sententia Aristotelis, sed illam textui magis cōuenire, semper docet in q. 65. 66. 67. 70. 71. Aristotelicam vero magis repugnare; quod scioli non animaduerterunt. Præterea solem esse formaliter calidissimum & lucidissimum, scriptura Dei testatur. Nam 1. Genes. fit *luminare maius*; de calore vero eius habetur in Ps. 18. item Sap. 2. & Eccl. 43. & alibi pluries: & in Sap. 17. datur illuminatio igni, & *stellarum limpidis flammis*. Hoc autem ita se habere, & hæresin esse, contrariū sentire, docet Amb. in hexaem. li. 4. & Basilius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

filius idem sentit; imo Aug. quoq; & Chrys. & Iustinus, & Bern. & Origenes, & Philoponus, & omnes quotquot legi patres. Et ecclesia canit in hymno Ambrosiano, *Iam sol recedit igneus*. Nihilominus quod sol non sit calidus formaliter, sentiunt alij scholastici absq; hæreseos labe; nec ecclesia id prohibet sentire. Ipse quoq; Aristot. autor positionis, nec lucem in sole ponit, vt patet ex 2. de cœlo, tex. 42. vbi lucem & calorem fieri ex aeris attritione docet; & Simplicius contestatur, sic Arist. sentire, vt & Alexander. Item Auerroes in lib. de substant. orb. cæleſt. Aristotelem lucē & calorem soli abstulisse perhibet; sed à recentioribus, doctrinæ Aristotelis non acquiescentibus, lucem esse restitutam. Et profecto si lux restitui debet ne scripturis aduersemur, debet & calor. Propterea enim abstulit Aristoteles lucem; ne sol sit igneus. Et tamen contra Aristotelem & literam scripturæ multi modernorum sentiunt aliter, nec vetantur. Galilæus vero sua ex sensu probat dogmata, & vetatur obseruare codicē Dei? Omitto alias opiniones, quæ à maioribus retentæ, tanquam de fide, iam per communem experientiam ostendūtur esse falsæ; vt, quod antipodes non exstent, quod non sit habitatio sub æquatore, quod paradisus aut inferi sint in altero hemispęhrio aut in insulis fortunatis; item quod Procopius, Eusebius & alij terram super aquas fundarint ex scriptura, cuius cōtrarium ostendentes alij, non damnati sunt; & nunc ab experiēntia defenduntur. Quæ militant pro Galilæo.

Secundum probatur. Et primo an terra sit in centro mundi an extra, non modo nihil pertinet ad dogma fidei, vt dicebat D. Thom. in 4. assertione; sed asseritur etiam posterius à patribus & scholasticis. Imprimis Lactantius lib. 3. c. 23. Procopius, Diodorus Episcopus Tarsensis. Eusebius Episcopus Emisenus, Iust. in. ad q. ad orthodoxos, & alij existimant, non esse terram in centro mundi, nec cœlum esse rotundū. Idē sentit Chry. in hō. 6. & 13. super Gen. Et in homil. 31. super epistolam ad Roman. vbi sit gehenna, ignotum esse putat mortalibus: quod & Augustinus docet lib. 22. de ciuit. Dei, c. 16. & Magister in 4. dist. 44. & D. Tom. opus. 11. art. 15. Gehennam autem esse in centro vel loco terrę nostræ ex inferni vocabulo scitur, & quia Apostolus Ephes. 4. dixit, Christum *descendisse ad inferiores partes terræ*. Ergo ibi est infernus: nisi alias terras ponamus, & Dauid dicit de Christo ad inferiora profecto, vt exponit Petrus apostolus, Actorum 2. *Non derelinqnas animam meam in inferno*. Ergo vtrum terra sit in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

centro mundi, est ignotum. At si tenebras infernales, *exteriores* à Christo vocatas, extra mundum quis ponat, vt aliquando suspicatur Origenes super Matthæum, & Chrysostomus opinatur super epistolam ad Romanos: sequeretur, quod sint alia systemata extra mundum nostrũ; quod cẽsores in Galilæo damnant; quia scripturam & sanctorum patrum codices scrutati non sunt. At extra controuersiam Chrysost. super 1. ad Thessal. hom. 7. de terra hoc tantum sciri posse dicit, quod sit frigida & sicca & nigra, vltra nihil; & præcipue, quis locus eius & situs in mundo, &c. Ergo non docet nos scriptura, quod sit in centro potius quam in circumferentia. Vti & Chrysostomus incertum esse docet, an moueatur, an vero stet. Nam vltra tres primo dictas conditiones, videl. frigiditatem, siccitatem & nigredinem, nihil sciri posse, definit. Cum Chrysost. autem Theophylactus est, & alij, vt Lactantius, Augustus. Procopius, Diodorus & Eusebius: & Iustinus contendit, non esse in centro. Nescio ergo, cur nostri nunc theologi, absque præuijs demonstrationibus mathematicis aut experimẽtis, & sine reuelationibus, se pro certo scire arbitrantur, quod terra sit in centro mundi & immobilis, & contrarium esse contra patres & scholasticos, quos non viderunt. At si vera sit sententia eorum; qui infernum in centro terræ nostræ ponunt in quo ignis cruciet damnatos, vt Gregorius & alij videntur sentire; tunc oportebit terram esse mobilem. Nam Pythagoras, teste Aristotele, qui ponit in centro terræ locum pœnarum, & ignem motus causam, ponit terram mobilem & animatam, vt Ouidius quoque sentit in 15. metamorph. & Origenes super Ezechielem, & Alexander Aphrodisæus, & Plato. Sed D. Thomas opuscul. 11. art. 24. quia sit contra naturam nec possit miraculum tribui, ponit infernum alibi, & ignoratum. Oportet ergo, si est in centro terræ, terram esse intus calidam, & mobilem secundum Gregorium & alios poni ex ratione S. Thomæ. Non ergo repugnat positio Galilæi S. Gregorio, sed Aristoteliſmo.

Quod vero cælum stellatũ sit immobile, docent Procopius, Diodorus, Eusebius & Iustinus, & Chrysostomus ibid. & in homil. 12. ad populum Antiochenum, & in homil. 14. & 27. super epistol. ad Hebræos, probat ex scripturis & rationibus, quod cœlum sit immobile. Nã dicit Apost. Heb. 8. loquens de cœlo, quod sit tabernaculum sacerdotis Christi, *quod fixit Deus & non homo:* vbi fixũ pronunciatur cœlũ & non mobile, sicut & in c. 12. Augu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

12. Augustin. vero in 2. super Genesin ad lit. c. 10. narrat, à mathematicis sui temporis, certissimis demonstrationibus esse probatum, quod cœlum sit immobile: nec debere philosophos in his repudiari, nec satis ampleeti, ne derisioni theologiam & nos ipsos demus. Præterea præfati patres putant, cœlum non esse mobile nec rotundum, quia alias contradicatur prophetis & Moysi, & Psalmo 103. qui iuxta litteram Chrysostomi ait, *Statuit cœlum tanquam testudinem, & extendit ipsum tanquam tentorium.* Et hanc fuisse olim cõtrouersiam inter Christianos & gẽtiles, Iustinus memorat. Copernicus autem hoc probat ex nomine, quia omnia cælat. Nos etiam cum Basilio, quod sit caloris opere extensum. Præterea Beda & Strabus & prædicti patres dicunt, cœlum stellatum esse id, quod Moyses vocat *firmamentum.* ex quo vocabulo probant illi, quod sit firmum & stabile. Etenim & Paulus ait, *fixit illud Deus:* Et Dauid: *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Quod si moderni contradicunt, non propterea erit hæresis. Vnde mirũ, quod dogma Galilei putant esse contra omnes patres, cum contrarium patres senserint. Imo fuisse hanc ipsorum opinionem communem, testatur Sixtus Senensis in bibliotheca sancta. Tandem Petrus Lombardus, magister omnium scholasticorum, qui doctrinas patrum callebat, 2. sent. dist. 14. *Cuius,* inquit, *figuræ sit cœlum, spiritus sanctus dicere noluit.* Mox quærens, vtrum sit fixum an mobile, vtrumq; dici posse ex scriptura affirmat; prius quidem, quia vocetur firmamentum; posterius, quia stellæ in eo, non ipsum, moueri videantur, possitque stare cœlum, & stellę moueri, quum non sint sicut nodus in tabula. Et ita visui, videti motum stellarũ & textui, ponenti firmitatem, vt potest, satisfacit. Ergo inclinat ad sententiam Galilei. Non ergo apud patres est determinatũ, nec apud scholasticos, quod terra stet, & cœlum moueatur, vt dicunt aduersarij.

Tertium probatur. S. Thomas super lib. 2. de cœlo, à lect. 20. vsque ad extremam, vbi Aristotelis hanc, de motu terræ & stabilitate firmamenti, opinionem examinat; nunquam dicit, quod sit contra scripturam, vt in alijs dogmatibus philosophorum & Aristotelis annotare semper solet: nã & huius rei causa suscepit onus exponendi Aristotelem. Imo in opusc. 10. art. 16. vbi erat locus hoc docendi, vtrum sit contra scripturam, (quærebat enim, vtrum terra circulariter moueatur aut possit moueri ab angelo,) ait hoc non nisi contra Aristotelem esse, non contra scripturam. Nõ enim, si ordo vniuersi positus à Deo non variatur, propter aliquod dogma de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ſitu.& non motu elementorũ, illud eſt contra ſcripturã, vt bene D. Thomas aduertit. At quicunque theologi dicunt, firmamentum ſtare, aut nõ eſſe contra fidem affirmare quod ſtet; hi terram moueri, aut non eſſe cõtra fidem affirmare eius motum, adſtruunt per neceſſariam conſequentiam. De quorum numero eſt Magiſter ſententiarum,& Chryſoſtomus, & Lactantius,& Procopius, & Auguſtinus. Vnde recte Sixtus Senenſis lib.5.etiam contendit, non eſſe firmitatem cœli contra ſcripturam, vt putant indocti. Sed firmamentum eſſe cœlum ſydereum, affirmant ſancti, Beda,& Strabus. Et qui ſentiunt, firmamentum eſſe aliud, (neſcientes diſtinguere quomodo ſtellę videantur moueri, ſi ſint in firmamento, vt diſtinguit Magiſter, qui non ponit eas quaſi nodos,) coguntur dicere, quod ſit illud extra cœlum quod videmus, & ſine ſtellis; quum tamen Moyſes ſtellas locet in firmamento. Ergo Beda & Strabus, laudati à S. Thoma, ſenſum ſcripturæ melius aſſequuntur, quod firmamẽtum ſit cœlum ſtellatum. Cũ autẽ patres dicũt, ad ſaluandam apparentiã, qua ſydera apparent moueri, quod poſſint moueri ſydera, non autem firmamẽtum, verũ eſſe poteſt de planetis, vt D. Thomas & Sixtus exponunt: olfecit enim S. Thomas, hoc quaſi abſurdum eſſe. Nam innumerabiles ſtellæ ſunt in firmamento, præſertim in galaxia, quæ ſemper eundem ſitum, ordinem & motum inter ſe ſeruant in ſuis afteriſmis, licet quoad æquatorẽ & zodiacũ varient latitudinẽ & ſitum. Non poteſt autẽ ſeruari perpetuus ordo in tãta multitudine: Nã cum ſint alię à terra remotiores, aliæ viciniores, aliqua parallaxis fieret ſaltem varians ſitus ordinem videntibus. Nec item omnes moueri eodem motu, poſſunt quum ſint aliæ magnæ, aliæ paruæ,& viribus inæquales; ſicut nec planetæ: vnde indigerẽt varijs motibus, ſicut planetæ varios habent propterea quod ſunt magnitudine & viribus varij, ſiue à ſe ſiue à ſole moueantur. Eadem ratione vtitur Simplicius ad probandum, quod cœlum non ſit igneũ; quia ſydera mouerẽtur ſicut piſces in mari, multa cum varietate & inæqualitate & nõ perpetuo in eodem ſitu. Sed noſtra ratio melior, quam Simpliciana. Ergo ſi firmamentum ſtat ſecundum patres, ſtant & ſydera in eo. Ideoque Chryſoſtomus & alij patres prædicti,& Magiſter ſententiarum, qui conſentaneum fidei catholicę eſſe putant fixum firmamentum, multo magis de ſyderibus idem dicant oportet. Ergo & hoc ſequitur, quod terra circumferatur vt nauis, & ſydera appareant circumferri vt turris in littore,& inſula. Ergo hæc eſt cauſa

appa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

apparentiarū, satisfaciens scripturę de fixione firmamenti, vbi stellas posuit Deus, absque vlla extorsione aut absurditate, quam D. Thomas olfecit & tegit, vt solet, verenda patrum, vt in opusc. 1. de seipso testatur. Patres ergo, & scholasticorum magistri, Thomas & Petrus Lombardus, sunt magis pro Galileo, quam contra eum, & istis scriptura magis, quam censoribus Galilei, fauet.

Ad tertium.

AD 3. respondeo, quōd in Psalmo dicatur *fiematus orbis terræ* quoad situm & ordinem quem seruat firmum & perenniter sibi consimilem: vt & similiter cum dicitur in alio, *Fundauit terram super stabilitatem suam, nō inclinabitur in seculum seculi*, hoc intelligendum, nisi quando cœli mouendi sunt, & terra in fine, vt ecclesia canit cum propheta, Quam expositionem aduersarij concedant oportet. Ipsi enim qui firmamentum moueri statuunt, argumento respōdeat, propterea dici firmamētum, quia seruet eandem ordinis firmitatem etiam in motu. Præterea in Iob legimus, quod cœli solidissimi quasi ære fusi sint; & tamen Basilius docet, ex subtilissimo igne factos, per autoritatem Isaiæ; & firmitatem eorum aliter exponit. Præterea pro Galileo dicitur & pro Chrysostomo illud Prouerb. 8. *Quādo præparabat cœlos; aderam; quando certa lege & gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.* Vbi æthereum cœlum firmari à Deo habemus, & fontes libratos, vt infra &c. Et Dauid, *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Ergo non plus de firmitāte terræ, quam de firmitate cœli, in scriptura legitur. Nec propterea contrarij dicuntur scripturæ Dei, qui cœlum mobilitant: ergo neque, qui terram: nam vtrumque sensum patitur. Præterea in Psal. 135. scriptum est, *Qui firmauit terram super aquas.* At impugnatores Galilei negant verely *super aquas*: eadem ratione negat Galileus ly *firmari*; sed apparenter dici itidem contendet. Illud autē, terra in æternum stat, sine dubio de statu contra mortem dicitur. Nam alia moriuntur, alia generantur, ait Salomon; terra autem stat, nec interit vnquā interitu totali; vel stat in ordine suo. Nam si gehenna est in cētro terræ, vt plurimi credūt & est vulgaris sentētia, oportet quasi de fide, (si valet ratio D. Thomæ,) terrā in centro suō calidā ponere extra centrū mūdi, & mobilē, qualis est ignis & animatæ rei natura. Propterea si D. Thomæ in

opusc.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

opusc.11.art.24.non videtur gehenna esse in centro terræ, quoniam putat terram esse frigidam,& ad eius centrum omnia pondera mundi tendere,& vniuersum non posse suo fine saudari; nec potest miraculum dari;quoniam hoc fuit in constitutione,(*Præparata est enim ab heri Tophet*, dicitur Isaiæ 30.)in constitutione autem non fit miraculum, sed natura, teste Augustino:Ergo debet S. Thomæ vel terra esse calida,mobilisque etiam in peripheria,vel infernus non est in ipsius centro.

Ad quartum.

AD quartum,vt ex dictis patet & textu Salomonis,eximitur ibi terra à motu corruptionis per ly *stat*,siue ab interitu, non autem à motu locali.Dicit enim,*Generatio præterit,& generatio aduenit;terra autem in æternum stat*,ideſt,nõ interit.Econtrario enim dicitur in Iob de homine corruptibili,*nunquam in eodem statu permanet.* Illud vero,quod de ortu & renascentia solis & gyro per aquilonem,additur in textu Salomonis, plures recipit sensus,sine scripturarum euersione. Augustinus enim & Lactantius& alij exponunt,quod non sub terra gyret,sed à latera terræ aquilonæi , & obiectu magnorum montium à nobis illic nõ conspiciatur : sicut antiqui philosophi & Xenophanes,negantes exstare antipodas,dixerunt;(vt Aristoteles narrat in 2.meteororum;)quos Augustinus approbat,quoniam antipodas itidem nullos agnoscit.D. Thomas opusc.10.art.28. interpretatur de spiritu angelico mouente solem,ad mentem Ptolemæi.Idem facit in opusc.11.art.6. Ettamen ait ibidem,quod,quo plures habeat scriptura expositiones in hoc textu & alijs,eo plus euadat irrisionem philosophorum secularium. Quapropter hunc textum possem ego aliter exponere ad euadendum irrisionem Germanorum, qui iam pro comperto habent,terram moueri & solem in centro stare;vt Copernicus, Reinoldus,Stadius,Mæstlinus,Rothmānus,Gilbertus, Kepplerus,&innumeri Angli & Galli;ex Italis autem Franciscus Maria Ferrarienſis, Io. Antonius Maginus,Cardinalis Cusanus,Colantonus Stelliola & alij; vt diximus cap.3.2.hypothesi:ex antiquis vero Pythagoras & omnes sequaces, item Heraclitus & Aristarchus & Philolaus &c. quorum opinionẽ non damnat vt hæreticam D.Thomas, vt patuit in responsione ad secũdum. Nec,si damnaret,subito hæretica esset.Nam S.Chrysostomus dicit, hæresin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

resin esse contra scripturam & ecclesiam asserere plures cœlos & orbes. Philastrius hæreticos facit, qui secum de mundi ætate non sentiunt. Ambrosius hæresin esse putat, asserere solem non formaliter esse calidum. Et quidam modernus hæreticum facit qui lunam mutuatitio lumine lucere dicit. Et Procopius eum, qui terram super aquas fundatam neget. Nec propterea tamen sunt hæretici scholastici, qui in his omnibus contrariã habent sententiam; cum ecclesia nõ determiner, & scriptura sensus plures patiatur. Licet ergo Galileo aliter hunc textum exponere; videl. quod sol moueatur quoad sensum & apparẽtiam. Nam eodem modo D. Thomas in 1. q. 20. art. 1. ad 3. Moysen dicit loqui de his secundum quod sensibiliter apparent, iuxta sensum popularem non philosophicum. Et in responsione ad 5. ibidem respondet cum Chrysostomo, quod luna vocetur luminare magnum à Moyse propter effectum respectu nostri, & secundũ sensum nostrum, cum sydera multa sint maiora luna. Et profecto si quis homo habitaret in Iouis astro, is diceret: *Fecit Deus quinque luminaria magna, Solem luminare maius, & Medicæa sydera quatuor luminaria minora:* sunt enim illa sydera Medicæa ad sensum habitantium in Ioue, quanta & sicut est luna ad sensum nostrum qui habitamus in tellure. Vnde & lunæ Iouis quatuor à mathematicis ponuntur, & duæ lunæ circa Saturnum, vti Venus & Mercurius circa solem. Sic igitur tota scriptura (vt probauimus in 2. hypothesi ex dictis Chrysostomi, Augustini, Thomæ, Origenis, Bedæ, & omnium patrum,) sermonem suum in grammatica & sensu exteriori sensibus popularium adcommodat. Tradidit tamen disputationi hominum Deus mundum, primam suam scripturam: sic disputationi sapientum sensus alios secundæ suæ scripturæ; intra tamen ecclesiæ limites. Sic Christus, Dei sapientia incarnata, (vt docebat Origenes,) hominem se rudibus & pueris, prophetam doctoribus, Deum viris spiritualibus ostendebat. Mundus autẽ est sapientia creata materialiter, & ostẽsiones habet plures, pro plurimorum capacitate. Sic scriptura sapientia scripta.

Ad quintum & sextum.

PRopterea ad 5. & 6. respondeo negando, quod ex solis mansione in cẽtro miracula illa duo Iosue & Ezechiæ destruantur. Dicitur enim sol stetisse & reuersus esse ad sensum nostrum; cum verum sit, terram stetisse

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

& reuerſam eſſe tunc per miracula vera. Nec enim maius eſt miraculum, ſolem ſtetiſſe, quam terram. Et ſicut, cum Eccleſia canit, *Iam ſol recedit igneus*, gloſſas tu abſq; hæreſi ly *igneus*, id eſt, ſecundum nos & æquiuoce; ſic gloſſo & ego ly *recedit & reuerſus eſt*, id eſt, æquiuoce ſecundum nos nõ ſecundum ſe: ſicut Virgilius ait, *Prouehimur, terræque vrbeſq; recedunt*, cum nos tamen recedamus, non vrbes. Et quidem gloſſa mea minus diſſona textui eſt. Hymnus enim iſte à S. Amb. eſt compoſitus, vt patet ex vltimo tomo operum ipſius. Ambroſ. autem, formaliter, & ſecundum ſe ſolem eſſe igneum, probat in hexaemer. & contrarium ſentientes habet pro hæreticis aut ſtultis; & Ariſtotelicos in hoc valde flagellat; quod etiam patres citati in reſponſione ad 2. fecere. Tamen quia eccleſia hunc hymnum facit ſuum; ſicut ſymbolum Athanaſij fecit ſuum, & ipſa pluribus abundat interpretationibus, ſenſuum fœcundiſſima, non approbat quod ſint hæretici qui ſolem formaliter calidum eſſe negant, dummodo affirmantem non condemnent. Sic ergo ſi quis diceret, non fuiſſe miraculum in Ioſue & Ezechia, niſi ſecundum ſenſus hallucinationem, is contrariaretur ſcripturæ. Nos autem dicimus æque miracũlum eſſe: ſicuti æque eadem fit apparentia moto viſu ac viſibili, vt perſpectiua docet. Miracula autem nobis ſunt miracula, non Deo; cui nihil mirum: & propter nos, non propter Deum fiunt; imo propter incredulos tantum, vt probatur ex apoſtolo. Clarum eſt autem nobis, quod ceſſet moueri ſol ad Dei nutum eo modo, quo nobis eſt mobilis, &c. Eodẽ pacto Deus dicitur feciſſe lunam luminare magnum: nec propterea, qui dicit eam nõ eſſe talem niſi reſpectu noſtri, vt facit Chryſ. eſt contrarius actioni diuinæ, aut palliator veritatis: nec illo melior erit Epicurus & Lucretius, qui ſydera tantæ quantitatis eſſe ponit, quantæ apparent. Ergo lunam vere magnum luminare dicemus: acceptabimuſq; ſic Epicuri impij non mathematici expoſitionem, vt Chryſ. expoſitionem ex mathematicis ortã renuamus, quo ſenſui populari adplaudamus? Senſus quoque arcum cęli fieri in nube rorida, radios ſolares aduerſos excipiente ac fœdante, iudicat, vt palã eſt in phyſiologia. At ſcriptura Dei, Geneſ. 9. dicit, quod Deus hoc ſignum, quotieſcunq; pluerit, poſiturus ſit in nubibus, in memoriam ſibi, & ſecuritatem nobis, quod non amplius terram aquis diluuij delebit. Si quis propter hunc textum negaret phyſiologiam, zelans, ne forte ſoli, non Deo, iris tribuatur, is inſanire vidbeatur & ſcripturas ignora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

gnorare. Quicquid enim facit natura, est opus Dei. Etenim ipsa est lex & præceptum diuinum, vt probat Chrysosto. & Ambrosius in hexaemer. Si ergo Deus solem dicitur sistere, ne moueatur in Iosue, qui declarat hoc fieri per gyrationis telluris frenationem, non tollit miraculum, sed declarat: sicuti nō tollit iridem à Deo fieri physiologus, sed declarat, quomodo fiat à Deo, quibus instrumentis, & natura, & ratione.

Ad septimum.

AD septimum facile respondetur. Debora enim & Iudas loquuntur decursu & errore planetarum, non omnium syderum, qui non sunt in cœlo sicuti nodus in tabula, vt putabat Aristoteles, sed per se mouentur, vt Magister sententiarum & patres omnes cum Augustino sentiunt. Et D. Thom. q. 70. art. 1. Ptolemæo potius consensit quam Aristoteli, ob Chrysostomi autoritatem, quod nō sint vt nodus in tabula, vt omnes Pythagorici cum eo dicebant: vbi etiam monet, quod firmamenti pars inferior sit, in quo planetæ dicuntur moueri, non autem superior.

Ad Esdram, concedimus, quod sol conuertat cœlum. Sed ibi non dicitur quod sol moueatur, verum quod conuertat, (vt & hoc potest intelligi eo sensu, quo sol mouet planetas in gyrum suo lumine, quod Plinius etiam probat li. 2.) & vna cum planetis sphæras eorum conuertat, vel potius aerem & vaporem, qui circulum vaporosum circa planetas faciunt, vt Galileus & Pythagorici probant; & Copernicus de orbe magno telluris loquens insinuat. Chrys. autem responderet, satis esse si sydera cōuertat, vt possit dici cōuertere cœlum cui insunt: ipse enim totum fixum esse vult. Et profecto mathematici, qui tempore Augustini certissimis, vt ipse ait, demonstrationibus probauerant, cœlum esse fixum, non potuerunt hoc nisi de stellato cœlo probare, & hic stellis fixis, non de planetis. Nec enim vllo pacto potest mathematice probari, quod cœlum sit stabile, nisi ex fixarum ratione ad terram & planetarū; sicut procedit Copernicus, & Galileus, & Pythagoræi. Ergo per ly *certissimis* satis insinuat Augustinus, huius esse sententiæ, licet non satis esset mathematicus: tamen ibidem monet nos; ne contrarium tanquam ex fide asseramus, vt dictum est in hypothesi 2. & in responsione ad secundum. Vide Augustinum 2. super Genes. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

De cursu veloci solis in Esdra sufficit vt intelligatur motus circumgyrationis in ipsum, quem Telesius probauit sensatis exprimentis, & Galileus ex nubecularum in sole circumuolitantium motu. Mouetur ergo sol in se, non circa terram : & hoc satis: vel dicas, vt supra, apparenter.

Ad octauum.

AD 8. respondeo. Tantũ abest vt sit contra scripturas, ponere aquas in cœlestibus, vt potius contrarium sit contra scripturas & fidem catholicam. Ergo & terras ibi esse oportet; cũ aquæ non nisi in terræ soliditate contineantur, non autem in tenuitate cœli subtilissimi, nec in stellarum calore, dissolúente eas in fumum, quamuis glaciatas eas quidam theologi propter hunc metum ponant.

Porro Moyses ait, genes. 1. quod firmamentum diuidat aquas quę sub firmamento sunt, ab his quæ super firmamentum. Et Dauid in Psalmis ait, *Extendens cœlum sicut pelles; qui tegit aquis superiora eius:* & alibi, *Aquæ*, ait, *quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini*, & Daniel in cantico idem repetit, & tota scriptura. Vnde Origenes, qui aquas super cœlos interpretatur angelos aqueos, oppugnatur à S. Basilio. Et S. Augustinus, qui id semel sic exposuerat lib. 13. confessionum, se retractat lib. 2. retract. 6.

S. Thomas in 1. q. 68. triplicem ponit opinionem de substantia firmamenti. *Primam* Empedoclis & Pythagoræorum cæterorum, quod ex quatuor elementis illud componant: & secundum hanc sententiam plane & sine difficultate haberi docet sensum scripturæ in duabus positionibus Moysis, videl. & de aquis realibus in cœlo ac syderibus, & quod firmamẽtum sit factum secundo die, quamuis cœlum dicatur à principio factum, & firmamentum die secundo factum vocatur à Deo cœlum. *Secunda* est Platonis, quod sit de natura ignis. (Ego tamen in Timæo video sententiam & rationem Platonis, quod sit ex quatuor elementis: licet & Ficinus flores elementorum ibi interpretetur, videl. aquæ transpicuitatem, terræ soliditatem, aeris mobilitatem, sed ignis tantum veritatem in calore & luce. D. Thomas vero Platonẽ ipse nõ legit, vt ipse fatetur; nõdũ. n. venerat in latinũ.) Sed secundũ hanc sententiam textus Moysis in duob.

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

non consonat, ait D. Thomas. Primo, quoniam secundum intentionem Platonis facere firmamentum, est facere elementum ignis. Productio ergo elemẽtorum est opus creationis, quę intelligitur tota cum dicitur, *In principio creauit Deus cœlum & terram.* In diebus enim solum de ornatu est sermo, secundum omnes patres. Vnde sequitur inconueniens, quod fiat secundo die. Sic enim erit opus ornatus & non creationis. Item si vtrobique pro eodem sumitur, erit nugatio: quia ponitur fieri elementum ignis post factum elementum ignis. Secundo, quoniam aquæ super cœlos non recte de veris aquis possunt exponi: quomodo enim igneum firmamentum compatiatur secum aquas. Et propterea Basilius & Chrysostomus, qui hanc de igneo cœlo sententiam tuentur, respondent his D. Thomæ obiectionibus. Et ad primum quidem Chrysostomus, quod videlicet Moyses primo in genere dixerit, *fecit Deus cœlum & terram*; deinde sigillatim, quomodo facta sint. Basilius vero respondet, quod primò sit sermo de cælo empyreo immobili, in altero vero die de sydereo. Rursus respõdet ad secundum, quod aquæ super firmamentum, sint ad temperandum calorem empyrei, & sint glaciatæ, propterea nec defluant. Et iterum, quod firmamentum possit intelligi aer crassus, & quod aquæ pluuiales super ipsum fiant, ideoque dictum, *aquæ super cœlos*, &c. Nihilominus contendit ipse & Ambrosius & Magister, esse veras aquas. Idem facit S. Bonauentura, idem Beda, & plurimi ex patribus: qui etiam cœlum sydereum de aquis factum fuisse putant, & glaciales aquas super ipsam esse. Augustinus vero, qui 2. super Genesin cap. 3. concedit, sydera de igne facta esse, & cœlum sydereum esse igneum; mox rapitur ad opinandum, quod aquæ super cœlum minutatim cum vaporibus crassis super aerem, quod potest etiam dici firmamentum, eleuentur. Et Magister sententiarum hanc opinionem recitat, nec reprobat. Vnde varijs modis torquentur patres & scholastici ad saluandum textum Moysis ab absurditatibus, quæ sequuntur, si cœlum sydereum ponatur mobile, non ex elementis compositum. *Tertiam* opinionem adducit D. Thomas, quæ est Aristotelis, quod sc. cœlum sit quinta essentia inalterabilis. Et secundum hanc fatetur quod longe minus possit saluari textus scripturæ. Nam firmamentum dicitur factum ex materia prius existente, die secundo, materia autem in die primo. Vel potius, vt D. Thomas ait, ante omnem diem facta est, cum dicitur, *In principio creauit Deus cœlum & terram: terra autem erat*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

inanis & vacua; & spiritus Domini super aquas. Vbi Augustinus per terram & aquam intelligit materiam, quæ populo rudi non poterat declarari, nisi sub forma corporali, vt etiam ait D. Thomas in q. 68. art. 1. Ac sequitur Thomas argumentum in q. 68. art. 1. Cœlum, secundum Aristotelem, est de sui natura incorruptibile: ergo habet materiam quæ non poterat subesse alteri formæ: ergo impossibile est quod firmamentum sit factum secunda die. Præterea non potest dici, quod veras aquas super firmamẽtum ponat Moyses; cuius contrarium docet scriptura & patres. Nec verum est quod dicunt aquas minutatim super firmamentum ab inferiori mundo ascendere. Alij dicunt pro Aristotele, aquas super firmamento esse cœlum empyreum, quod à diaphaneitate aquis persimili dicatur æqueum. Alij vocant ipsum crystallinum ob hoc ipsum; quod & faciunt immobile. D. Thomas videns, ægre Aristotelis sententiã defendi posse, defendit omnes: & pro hac sententia tandem respondet, quod firmamẽtum diuidat aquas ab aquis, id est materiam primam, quæ aquæ nomine designatur secundum Augustinum, si firmamẽtum sit de quinta essentia.

Sed omnes istæ sententiæ, quæ ponuntur ad concordandum sententiam Platonis cum Moyse, & Aristotelis cum Moyse, plenæ sunt difficultatibus inextricabilibus, & torquent textum ad sensum mysticum: imo ad nullum. Augustinus autẽ, in libr. de doctrina Christiana, docet, quod vbi sensus literalis possit haberi, non sit refugiendum ad mysticum, nisi prius literali præsuppositio & declarato. Et in 2. super Genesin, laudat sententiã Basilij de firmamento aereo, propterea quod non sit contra fidem; & in promptu posito documento credi possit. Nos quoq; eandem sententiam in quæstionib. approbauimus præ cæteris; quoniam meliorem non habuimus. Telesius vero approbauit, quoniam suæ positioni de cœlo toto igneo incommoda non est. At nunc, si Galilei obseruationes veræ sunt, iterum video difficultates in præfatis sententijs maiores.

Primo quod dicit Chysostomus, præterquam quod multis id patrib. aduersatur, non videtur verisimile, quod Moyses, facit in 2. die, id esse recapitulationem eorum, quæ ante dies: omnes enim patres in his diebus ornatũ ponunt, ante diem vero creationem, vt Augustinus & Thomas docent & Magister. Responsio Basilij, quod ante dies sit creatũ empyreũ immobile, secũda die sydereũ, nõ placet omnibus; nã ponitur illud absq; scripturę testimonio, ad tuendũ positionem tantum. Itẽ Aug. in 10. de ci-

uit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

uit. Dei, ponit cœlum empyreũ idem cum ſydereo, ex dictis Porphyrij, & dici ait empyreum, id eſt, igneũ: Sydera autẽ ex igne ſunt. Et Sap. 18. dicũtur *ſtellarum limpidæ flammæ*. Item dicitur æthereũ ab inflammatione ſecundũ Auguſtinũ, nõ à velocitate motus, vt Ariſtoteles putabat. Præterea empyreum eſt igneũ: ignis autẽ eſt, moueri ſemper, vt in quæſtionibus phyſicis probauimus, vnde priuatus motus exſtinguitur ſecũdum Auerroẽ, & propterea fertur cœlum in gyrum, quia igneum eſt nec poteſt torpere, vt Plotinus 2. enneade dicit, & Zenocrates & Porphyrius, reſpondẽtes Ariſtoteli, qui putauit, in ſua ſpæra naturaliter quieſcere; ſed cõtra naturã à cœlo moueri in gyrũ. Igitur nõ rectè ponitur empyreũ, id eſt, igneũ, aliud à ſydereo cœlo, quod præ omnib. calore & luce manifeſta viget. De illo ſupra ſydereũ poſito neſcimus an luceat, nedũ an calefaciat: cũ ad nos nõ trãſeat lux, & ſit imaginarium. Propterea nec Baſilius confidit poſitionẽ hanc tueri poſſe: idcirco per firmamentum deinde aerem commentatur. Sed hoc ad fugiendum argumenta pulcrum eſt; nõ tamẽ ſatis ad textum Moyſis. Nõ enim aquæ ſunt ſuper aere nubiloſe vllæ, niſi vapores, qui de terra eleuantur. Vapor autẽ nõ eſt aqua, licet de ipſo generari poſſit aqua. At etiam de aere generatur ſecundum D. Thomam & Ariſtotelem; qui etiam fontes in cauernis terrę ex aere generat, & perpetuat. Ergo nõ vere aquas ſuper firmamento ponit Moyſes: ſed materiam, de qua non magis aqua, quam aer & ignis, generari poteſt ſecundum D. Thomam & Ariſtotelẽ. Ergo non diuidit aquas ab aquis, ſed quodlibet firmamẽtum à quolibet, & quilibet poſſet fingere quicquid vellet, & vocabulis abuti, vocando ignem lignum, & aquam vaporem, &c. Aut erit generatio, non tranſmutatio, ſed ſegregatio, vt antiqui docuere, quos Ariſtoteles & D. Thomas condemnat: de quorum ſententia vide quæſtiones noſtras, & metaphyſicam. Item nec ſuper aerem craſſum ſunt vapores aquei, ſed in ipſo craſſo: quare nõ diuidit aquas ab aquis. Eiſdem premuntur incommodis, qui cœlũ ponunt diaphanũ, & ideo perſimile aquis & cryſtallo. Nõ enim hæc ſimilitudo dat eſſe, quod nomen aquæ ſignificat. Et aer enim & ſol diaphani ſunt, nec tamẽ propterea aquei. Videtur etiã ficta ſententia, ex autoritate ſcripturæ non habẽs ortũ, ſed ex difficultate, quam incurrimus dum nolumus exponere Moyſe ſecundũ Pythagoricã philoſophiã, ſed ſecundũ Ariſtotelicã & Plotinicam: nã Plato Pythagoræ ſubſcribit; Plotinus vero ad igneã dũtaxat naturã cœlũ reduxit.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Quod vero adducunt remedium de veris aquis glacialibus, non valet, nisi ponantur sydera esse systemata, in quibus sunt aquæ naturales, sicut in tellure; quæ propter aquas & aeres, lucem reflectentes, videntur accolis aliarum stellarum esse sydus, vt luna nobis. Mirum præterea quod cum igne absque ordine systematis stet aqua glacialis adhærēs, nec liquescat, soluaturq; in ignem: miraculum enim Augustinus heic non admittit. Miratur & ipse Basilius, sed putauit meliora non posse inueniri. Quæ autem adducuntur ad saluandum textum ex sententia Aristotelis, longe absurdiora sunt, vt fatetur D. Thomas. Nam primum argumentum cōtra Aristotelem putatur à D. Thoma insolubile, si sex dies naturales accipiantur, & non angelici, vt vniuersi patres, Chrys. Beda, Hieronymus, Origenes, Gregorius, Ambrosius, Basilius, Procopius, & omnes reliqui, excepto Augustino; secundum, quem per dies angelicos ægrè concordatur Aristoteles cum Moyse. Ergone omnes patres condemnabimus imperitiæ & impietatis, quod admiserint impossibilia & pugnātia & falsa, vt Aristotelem defendamus & in cathedram Christi ponamus super sanctos doctores? Absit tantum scelus & stultissima cæcitas. Item non potest secundum Aristotelem poni aqua super cœlos vllo modo, nisi ad æquiuocationem, si ponantur spirituales aquæ. Sed hoc explodiur ab omnibus patribus: nam etiam corporales vniuocas oportet ponere, si velimus Christiāni esse & non Aristotelici. Et pro nobis sunt etiam Rabbini Hebræi, & Pythagorici philosophi; nedum Basilius & Ambrosius cum alijs patribus & scholasticis. Item contra vtraq; sententias remedia earum paruipendens D. Thomas ait, impossibile esse vapores è terra super cœlum sydereum euari, si sit de quinta essentia aut igneum: imo etiam, si esset de natura quatuor elementorum; tum ob distantiam, tum quia mutantur in aliud ens, & non sunt minutiæ aquarum, nisi apud Anaxagoram & Empedoclem: de quibus alibi disputauimus. At si horum opinionem sectemur, sufficit eleuare ex syderibus ipsis vapores, si sunt systemata quale nostrum, ex quatuor elementis.

Tandem quod addit D. Thomas ex Augustino pro Aristotele tuendo, non satisfacit. Non enim Moyses per firmamentum diuidit materiam, primam, sed aquas veras, vt omnes patres testantur. Et absurdum videtur dicere Dauid. *Qui tegis aquis superiora eius*, id est, materia prima tegis cœlum: & iterum, *Aquæ super cœlos laudent nomē Domini.* Quomodo enim ens infor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

informe & prope nihil, laudet Deum, nisi vel proprie rationale sit, vt aqueus angelus secundum Origenem, vel ornatum pulchritudine nimia, vnde laus Dei manifestetur, & dicatur laudare per prosopopœiam, vt exponit Basilius? Præterea quid miri narrasset Moyses, aut quid docuisset, cum per firmamentum diuidit aquas ab aquis, si materiam à materia? Palam est etiam, quod, quæ sub firmamento, veræ sunt formatæ aquæ, vt maria: ergo aliquid tale super firmamentum. Distinctio enim inter res eiusdem generis est, non inter lineam & albedinem. Vnde cum D. Thomas inclinet ad Empedoclem, quoniam planus ab eo est Christianæ scripturæ sensus, videtur hæc pro sua modestia coaceruasse, vt doctoribus & philosophis satisfaceret, & pluribus sensibus scriptura abundaret.

Quod autem non modo Moyses faueat Empedocli & Galileo, sed etiam Salomon & experientia, patet. Ille dixit 8. Prouerb. *Quando æthera firmabat sursum, & certa lege vallabat abyssos, & librabat fontes aquarum.* Æther autem cœlum stellatum ab inflammatione dicitur Augustino & Porphyrio: Abysi sunt aquarum immensitates, quas plures in pluribus systematis vallatas intelligere nihil vetat; quoniam à telluribus continentur, vt mare nostrum nostra tellure, non à congelatione facta. Librati autem fontes aquarum dicuntur forsan qui in stellis sunt: omnia enim systemata propriam habent in suo centro librationem. Scio dari alios sensus, sed ante inuentionem apparentiarum. Præterea manifeste circa solem volitant nubeculæ, quas ex nostra terra non posse eleuari, D. Thomas & ratio ipsa docent. Similiter facta est anno 1572. stella absque parallaxi in sedili Cassiopeæ noua ex vaporibus, vt Tycho & innumeri mathematici scripserunt, qui viderunt & obseruarunt: ergo sunt vapores in stellis. Item cometæ fiunt supra lunam, vt probant instrumenta, quod Aristoteles negauit: vapores autem è nostra terra eousque ferri non possunt: ergo sunt aquæ & tellures in syderibus; cum præsertim alij cometę alijs syderibus hærere obseruentur, item guttæ minutatim, quas Augustinus & Ambrosius eleuant, non possunt è terra nostra educi: ergo ex illis quæ in stellis. Item, secundum Petrum Apostolum, cœli calore soluentur: & secundum Dauidē peribunt & veterascent. At si sunt de quinta essentia, aut de solo igne, non potest hoc absque torsione scripturæ intelligi. S. Clemens & Hilarius & Cotherinus, de cœlis superioribus hoc intelligunt, non de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

aereis, vt Auguſtinus: ergo &c. Item Galileus oſtendit in luna montes: & Geneſ. 49. & Deut. 33. fit mentio pomorum & mõtium & collium in cœleſtibus: ergo conuenit illi. Quapropter quia ſacra ſcriptura ad literam in ſuis textibus omnibus cum ſolo Empedocle conuenit, cum alijs vero non niſi myſtice aut violenter, Empedocles autem Pythagoræus fuit, vti Galileus; ergo Galileus laudari debet, qui poſt tot ſecula vindicat ſcripturam per ſenſatas experientias ab irriſione & torſione; oſtenditque, ſapientes huius mundi inſipientes fuiſſe, & ſacram ſcripturam non illis, vt vſquemodo, ſed illos ſacræ ſcripturæ obſequentes fieri debere. Nec vilifiunt ſic domicilia noſtra. Homines enim ſuper ſydera eleuabuntur cum Chriſto capite, ſupraque omnes cœlos. Hinc ergo eluceſcit, nos illis eſſe meliores.

Ad nonum.

AD 9. Negatur conſequentia. Non enim plures mundos ponit Galileus, ſed omnia ſyſtemata ſub vno & intra vnum æthera fere immẽſum. Theologi vero ponunt tres mundos, primum elementarem, ſecundum cœleſtem, tertium ſuper cœleſtem ſeu ſpiritualem, cum S. Baſilio & Clemente. Horum inſtar fabricatum eſſe Moyſis tabernaculum triplex, oſtendunt Philo, Ioſephus, Clemẽs Alexãdrinus, Hieronymus, & Sixtus Senenſis. Galileus autem de his nihil theologice tractat, ſed per mirabilia inſtrumẽta ſtellas, olim occultas, nunc manifeſtat, docetque, planetas perſimiles lunæ eſſe, & accipere à ſuo ſole lucem; & alios rotari circa alios, & in cœlo mutationes elementorum fieri, & vapores ac nubes in ſtellarum ambitu, multaq; ſyſtemata inueniri: ita vt quaſi manibus palpemus, vera retuliſſe Moyſen de cœlis cœlorum & de aquis & montibus & de alijs rebus in ſyderibus; ac ſciamus, iuxta literam abſque violentia & tortura & fictis imaginib. ſcripturam exponere, & à philoſophorum calumnijs vindicare, qui quia iſta nõ credebant, inde cogebantur recurrere ad ſenſum myſticum, vti nunc facit hæreſis Perſiana in exponendo Machometis impoſſibiles fictiones de cœlis & diuinis rebus. Præterea ſciendum, quod nullibi inueniatur decretum in canonibus eccleſiæ, non eſſe plures mundos. Nec D. Thomas dicit hoc eſſe contra fidem in 1 q. 47. art. 3. vbi hoc inquirit. Locus autem Ioannis; *Mundus per ipſum factus eſt*, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

non negat, quod alij mundi & ſecula per ipſum facta ſint, ſed tãtum affirmat quod mundus noſter per ipſum factus eſt. Probat autẽ recte D. Thomas, quod plures mundos abſque ordine ad vnũ ponere, vt fecerunt Democritus & Epicurus, error ſit in fide. Nã ex hoc ſequitur, caſu fieri mundos, vt illi volunt, abſque ordinatore Deo. Sed ponere plura ſyſtemata parua intra vnum maximum, ordinata ad Deum, nequaquam eſt contra ſcripturam, ſed tantummodo contra Ariſtotelem. Nam etiam ratio S. Thomæ (quod non ſit poſſibile eſſe aliam terram in aliis mundis præter iſtam, quoniam illæ terræ ad iſtam venirent & ſuos relinquerent locos,) ex Ariſtotelis lib. 1. de cœlo eſt deprompta, & nihil valet. Non enim cor meum vadit ad locum cordis tui. Omnia ſuo in centro conſtabiliuntur, & propria partium conſimilitudine ſeruantur & gaudent. Ad centrum lunæ lunaria, ad Mercurij Mercurialia contendunt: extra circulum ſuum non olfaciunt aliquod melius pro ſe. Et cur, ſi ſtellæ ſunt eiuſdem naturæ in Peripato, non tendunt altera in alteram, & partes huius ad illius.

Præterea Vniuerſitas Pariſienſis inter articulos correctione dignos in D. Thoma ponit hunc, quod videl. non poſſit eſſe alia terra. Sic enim ligatur potentia Dei. Non enim de naturali, aiunt, ſermo eſt in theologia, ſed de diuina. Sed profecto nec D. Thomas hoc, vt illi impingitur, de potentia Dei intellexit, (& ſi omnino, vti debebat, ſe non declarauit,) quum alibi contrarium ſtatuat, poſſe videl. Deum facere plures mundos & terras, ſed ex ordinaria philoſophia Ariſtotelica, vt notat etiam Caietanus. Imo in 1. de cœlo, vbi hoc examinat Ariſtoteles, ibi D. Thomas docet, nequaquam eſſe cõtra fidẽ, ſed contra Ariſtotelẽ hoc dogma. Illud etiam de plurib. hominum ſpeciebus, & quod Chriſtus ſit alibi mortuus, nõ ſequitur ex dictis Galilei: nec valet conſequẽtia contra alios. Nõ enim verũ eſt, quod ſit mortuus in altero hemiſphærio, quod propter hoc argumẽtum exſtare negabatur à multis theologis, etiam ab Auguſtino, cõtra quam experientia hodie oſtendit. Nec homines, ſi qui eſſent in alijs ſyderibus, peccato Adæ, à quo nõ habẽt originẽ, infecti, vt redemtione indigeãt, fuiſſe poſſunt, niſi alio peccato laborẽt; vnde cogeremur exponere illud Epheſ. 1. & Coloſſ. 1. *reciõcilians in ſanguine ſuo, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris, &c.* Sed hæc ignoramus; ideo ſtamus in antiqua expoſitione Patrũ. At vero Galileus, in epiſtolis de ſolarib. maculis, expreſſe negat, homines

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

in ſtellis alijs eſſe poſſe, (quod nos in quæſtionibus argumento phyſico comprobauimus,) ſed poſſe entia ibi eſſe alterius naturę, noſtris analoga entibus, non vniuoca; quicquid colludendo & iocoſe Keplerus in diſſertationibus dicat, ex hypotheſi tantum.

Præterea ſi falſum eſt hoc de pluribus mundis, Galileum non tangit; quippe qui non plures mundos, ſed plura ſyſtemata in hoc mundo, ſenſu, non imaginatione, detegit, ordinata ad vnum. Vnde ceſſat ratio Ariſtotelis in 12. metaphyſic. de pluribus primis motoribus. Et cardinalis Cuſanus & Keplerus & Nolanus & alij dixere idem ante Galileum. Nec quia ſcriptura Dei hoc tacet, propterea non eſt verum: locus enim ab autoritate negatiuus, eſt fallax in dialectica. Nec enim de altero hemiſphærio quippiam dixit; ergone autem ſentiemus cum atheiſtis, qui propter hoc argumentum condemnant Moyſen, nihil de antipodibus loquutum, quamuis Auguſtinum habeant propter hoc quod Moyſes de illis non eſt loquutus, antipodas negantem? Profecto ea ratione dicemus cum Luthero quoque non fuiſſe vnquam Petrum Romæ, propterea quod Lucas in actis de hoc mentionem non fecerit. Valeant nugatores inſulſi indoctique. Quantopere inſana Paracelſi ſententia à Galileo abſit, palam eſt: neque eſt quod immoremur. Moyſes quidem hæc omnia tacuit, quia legem noſtro mundo datam, non phyſiologiam ſyſtematum cunctorum ſcribebat, imo nec noſtri, niſi quantum legi opus erat.

Ad decimum.

AD 10. nego, ſcandalum actiuum, quod ſolummodo vetatur in euangelio, oriri ex Galileo. Non enim vocat ipſe rei illicitæ, ſed indagini veritatis, quam mandat & iubet Deus, vt patet ex hypotheſi ſecunda in tertio capite huius quęſtionis; & ex euangelio, vbi Chriſtus talentum à ſe datũ ſub pœnis maximis defodi vetat. Et S. Gregorius ſuper Ezechielem ait, *Si de veritate ſcandalũ ſumitur, vtilius naſci permittitur ſcandalum, quã quod veritas relinquatur.* Et cũ ſcandalizarẽtur ab hoc Phariſęi, dixit Chriſtus Matt. 15. *Sinite eos, cæci ſunt & duces cæcorũ.* Quod autem dicitur, receptã eſſe ſententiã Ariſtot. à ſcholaſticis de cœleſt. & mundi cõſtructione, vt cõformem theologię, & nõ vltra inſudandũ, error eſt, ne dicam hęreſis.

Omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Omnes namque patres Aristoteliſmo contrariantur in ijs, quæ de cœlo & conſtructione mundi dixit, vt ex 2. hypotheſi & ex reſponſione ad 1. & 8. iam patuit. Scholaſtici vero, quorum principes ſunt Petrus Lombardus & D. Thomas Aquinas, manifeſte pandunt dogmata Ariſtotelis non poſſe cum doctrina Moyſis & patrum in his ſtare; (vt patuit ex reſponſi. ad 2. & 8. & ex alijs iam dictis in hoc articulo; Inuenta autem Galilæi cõcordare cum S. ſcriptura, eamque à tortura theologorum & irriſionibus philoſophorum vindicare; & philoſophos eſſe fallaces; patrumque teſtimonia veraciora quam philoſophorum. Neſcio cur libeat cæcutire, & ſine doctrina falſo zelo furere, aut ſine zelo doctrinam ſenſatam impugnare.

Ad vndecimum.

AD 11. reſponſio eſt in tota aſſertione prima hypotheſeos ſecundæ & in corollario, vbi dicitur, quam ſit Deo gratum philoſophari in libro eius, & quomodo cœleſtia inquirere non ſit vanum, ſed vtile ad gloriam Dei manifeſtandam, & fidem de animæ humanæ diuinitate & immortalitate aſtruendam; & quod verſus Catonis non æquiualeant verſibus Ouidij contrarijs diuinioribuſque; & quod inſuper Dauid hoc ſtudium, vt ſublime, non vt ſuperbum, commendet. Adde, quod ratio Catonis eſt contra fidem. *Cum* enim *ſis mortalis, quæ ſunt mortalia, cura.* Quod non de ſolo corpore, ſed de animo quoque dicitur, eſſe oportet. Si enim animus immortalis & deificabilis eſt, non debet ab inquiſitione diuinorum alienari. Vnde Dauid; *Quærite Deum, & viuet anima veſtra.* Et alibi, *Quærite faciem eius ſemper.* Et de cœleſtibus, *Cœli enarrant &c.* Et *videbo cœlos tuos, &c.* Et alibi, *Mirabilia opera tua, ideo ſcrutata eſt anima mea.* Quomodo autem terminum in his non poſuerint patres noſtri, paret ex aſſert. 2. & 3. & quomodo, vlterius inquirere ſi quis vetet, erraret, ex aſſert. 4. & quomodo ſapiendum ad ſobrietatem, &c. Sed in theologicis noſtris de his abundanter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

CAPVT V.

Quo loco habenda argumenta, capite secundo pro Galileo adducta.

RAtiones pro Galileo propositas, opinor, ægre nunc solui posse omnes. Cum enim ego pluribus annis cælum esse igneum opinatus sim, ipsumq; cœlum igniũ omnium fontem, astra vero ex igne etiam constituta, sicut August. Basil. & alij patres senserunt, & recens Telesius noster; conatus sum in quæst. & in metaphysicis rationes omnes Copernici & Pythagoræotũ soluere. Sed post obseruationes Tychonis & Galilei, qui in cœlo stellato nouam stellam, & cometas ibidem, nedum supra lunam fieri conuincunt, & nubeculas circa solem; nõ omnia astra ignea esse suspicor: quam suspicionem Lunæ & Veneris augmentum ac decrementũ, & Lunæ, ac Iouis maculæ magis confirmant. Illud etiam argumentum, quomodo stellata sphæra in vno momento tot millia milliariũ peragret, licet à nobis solutum sit, adhuc tamẽ ancipitem me tenet. Stellæ insuper Mediceæ & Saturniæ, circumeuntes Iouem & Saturnum, non permittunt forte solem vnicum, nec centrum amoris vnicum, ideſt, solem, & alterum odij, id est, tellurem, vt nos dicebamus in physiologia, colores fixarum persimiles planetarum alij aliorum coloribus, suspectam faciunt etiam Galilei & aliorum de Solibus opinionem. Quapropter suspendo iudicium; & ad Galilei argumenta respondeo, paratus obedire mandatis Ecclesiæ & meliorum iudicio.

Ad primum, secundum, tertium, quartum, quintum & septimum.

ADI 2. 3. 4. 5. & 7. eadem est responsio, quod probabilis sit, non vera, sententia Copernici & Galilei, à tot theologis approbata: cum hæc non sit determinatio in Concilio generali facta, neque ex motu proprio summi Pontificis Pauli 3. ex Spiritus sancti assistentia, sed solum permissio vt imprimantur libri: hanc opinionem continentes, tanquam fidei non repugnantes. Neque enim cum Papa approbat sanctorum theologorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

gorum doctrinam, tanquam de fide adprobat totam, sed tanquam vtilem & lectione dignam, vt docent Parisienses doctores in articulis, quos in D. Thoma adnotarunt. Alioquin Papa Gelasius etiam errores Cypriani & Hieronymi & multorum quos ibi dist. 15. c. *Sancta Romana*, suscipit approbatq;, approbasset. Ad aliud dico, quod probabile est, non esse aliquid contra scripturas in his dogmatibus propter prædictorum theologorum & Papę authoritatem permittentis; non tamen necessariũ. Quod enim illi nondum viderunt, possunt moderni theologi videre, si præsertim scripturas & cœlum operosius & ingeniosius obseruent, prout in corpore huius articuli ego faciendum proposui, aut reuelationem nouam habeant. Ego tamen fateor, me non videre, vnde iactura autoritatis scripturarum sanctarum fiat ex Galilei dogmatibus: imo lucrum fieri arbitror, vt ex dictis patet.

Ad octauum, nonum, & decimum.

AD 8. 9. & 10. nescio an demonstrationes sint pro Galileo, cum euadant theologi per sensus mysticos & cœlos æquiuocos, vt 1. D. Thomæ apparet; sed tamen demonstrationes contra Aristotelem sine dubio. Nos autem responsionibus pro Galileo omne id quod dicunt theologi, examinauimus; & huic fauere scripturas non minus, quam illis ex doctrina aliorum philosophorum loquentibus, vere intelligimus; parati meliori intellectui cedere. In metaphysices part. 3. lib. 1. omnia Galilei & Pythagoræorum dogmata, & Copernici examinauimus, & his argumentis satisfecimus vt potuimus: similiter in quæstionibus omnibus physicis, vbi longe plura ex naturalibus argumenta contra Copernicum contexuimus. Nunc ex theologicis modo procedimus: ibi videat physicus, sed ecclesia sit iudex, an sit permittendum Galileo de his scribere & disputare.

Ad sextum.

AD 6. nescio quid negem. Picus enim, comes Mirandulanus, tanquam veram historiam inducit, quod Aristoteles, scripta Moysis de Deo libere mundum creante in temporis initio legens vel recitari audiẽs spre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ſpreuerit tanquam ruſtica & ſine probatione exarata ; quod etiam Porphyrius fecit, vt narrat Euſebius. De Pythagora autem, quod fuerit Iudæus genere, teſtatur Ambroſius; non memini, vtrum in ſermonibus an in epiſtolis; libros enim nunc non habeo. Sed tamen hoc ſic eſſe memini. Imo ſcholiaſtes Ambroſij dubitans, quonam modo Pythagoras fuerit Hebræus cum alij de Samo Græciæ eum faciant, (ſed de Samo Calabriæ, olim magnæ Græciæ, facit G. Barrius Franciſcanus,) reſpondet, abſque certa hiſtoria id non protuliſſe. Et quidem ſanctitas, & grauitas Ambroſij hoc volunt, vt & argumenta. Pythagoras enim ciborum delectum, Dei vnitatem, licet Angelos deos ſecundos dixerit, & omnia numeris docet, (ſicut Moyſes in conſtructione tabernaculi, & Salomon omnia numero, pondere & menſura creata ponit,) & Moyſen in legislatione æmulatur; qua de re vide metaphyſicam noſtram : hæc autem ſolennia Iudæis fuiſſe conſtat. Potius autem genere Iudæus natus eſſe in Samo, vt & Spartani in libris Machabæorum de genere Abrahæ eſſe perhibentur: Iudæi enim per plurimas mundi partes ex Abrahami & Moyſis & Iudicum temporibus diſpergebantur. Pythagoras autem hanc mirabilem philoſophiam apud Gentiles de telluris motu, & ſyſtematis in cœlo, & quod ſol ſit in centro, & luna ſit altera tellus, & quatuor elementa nedum aqua in ſyderibus, primus promulgauit, teſtibus Laertio, Plutarcho, Ariſtotele & Galeno. Quapropter ex Moyſe accepiſſe videtur: non enim tanta ſapientia illi abſq; præuia reuelatione eſſe potuit. Sicuti & Copernicus ex præuijs Pythagoræorum monumentis iſta excogitare cœpit, obſeruationibus Franciſci Mariæ excitus : Pythagoræ diſcipulus, Timæus Locrenſis noſtras, motum terræ diarium mathematice demonſtrauit: Philolaus vero Crotoniata, annuum : librationis videtur Copernicus adtunxiſſe, (vt in quæſtionibus phyſicis docui,) Thebiti Babylonici & Alfonſi regis Hiſpanorum motus exemplo; quas etiam deſiderari, D. Thomas in 12. metaphyſ. ex dictis Simplicij inſinuat. At etiamſi Iudæus non ſit Pythagoras, vt patriæ philoſophiæ iſta docuerit ; tamen ex hiſtorijs nouimus, cum ſacerdotibus Ægyptijs, cum Pherecide Syro, & cum Iudæis in Iudæa contermina Syriæ Ægypto, inque ipſa Syria & Ægypto eſſe conuerſatum & ab illis audiuiſſe legem, & philoſophiam de aquis & montibus & terris in cœlo, & de montibus lunæ, ac ſimilibus, quæ in hac quæſtione parauimus in ſacris biblijs haberi. Ariſtoles autẽ

ſicuti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ſicuti irriſit Moyſen Iudæum, ita & Pythagoram Iudæum aut Iudaizantem. Quapropter noſtri Chriſtiani, ſpiritualiter Iudæi ſecundum apoſtolum, vindicant ſacram philoſophiam Moſaicam ab iniurijs ethnicorum per certiſſima inſtrumenta & rationes. Cur murmuramus, ſicut olim Iudæi contra Moyſen vindicem ſuum ab iniurijs Ægyptiorum? Rabbini priſci, quorum libris nunc careo, eadem fere docent. Imo Machometus in dialogo cum Abdia Iudæo, & in Alcorano, cum eſſet etiam Iſmaelita & à Iudæis edoctus, quos ſecum ducebat vt ex multis hiſtorijs elicit ecſtaticus doctor Dionyſius Carthuſianus in libris contra Machometum; ponit in cœlo multa maria, & ſpatia aerea, & montes, & ſub terra noſtra ſeptem alias terras, & bouem ſuſtinentem eas. Quæ à Iudæis & Thalmudiſtis accepiſſe videtur, (Sixto Senēſi & Dionyſio Carthuſiano & alijs & ipſa re teſtantibus,) Sed cùm eſſet indoctiſſimus, loquutus eſt quicquid in buccam veniebat, tanquam arreptitius, vt videre eſt in reſponſionibus eius. Confunditque vera falſis, vt facit etiam in hiſtoria Ioſephi, Dauidis Salomonis, & Ieſu Chriſti domini noſtri. Imo metaphorica neſciuit diſtinguere à proprijs: vnde ponit columnas tenentes mundum, & fluuios vini & butyri in paradiſo, ſicut in Iob, nominantur, & alia id genus; & quod cœlum, ne ruat, ſuſtineatur à monte Caf, à quo etiam ſubuiridem colorem mutuetur: & hoc ab his accepit primis Chriſtianis, qui montem, in quo putant eſſe terreſtrem paradiſum, vſque ad cælum eleuant, vt expertes adhuc geographiæ; vnde quærit Anaſtaſius Sinaita, quomodo inde deſcenderint homines. Omitto, quæ dicit ab his Beda. Hoc ſolum ex his habe, quod Machometus à Rabbinis acceperit plures terras & maria & ſyſtemata ſuper cœlum noſtrum. Cum igitur antiquiſſimis expoſitionibus ſacræ ſcripturæ & modernis concors ſit obſeruatio Galilei & Empedoclis qui à Pythagoricis doctrinam habet, pluſquam cæteri philoſophi, teſte D. Thoma; ſacræ ſcripturæ in rebus cœleſtibus eſt commodus. Cumque Pythagorici à Iudæis doctrinas habuerint, quibus nunc maxime conſentit Galileus, non leui opinione motus, ſed ſenſatis obſeruationibus; arbitror cum D. Thoma & Auguſtino, vt in 2. hypotheſi nos docuerunt, non abſque periculo irriſionis ſcripturarum vel potius ſuſpicionis, quaſi nos contra ſcripturas cum ethnicis ſentiamus, vel ſublimibus ingenijs inuideamus, (præſertim cum hæretici nihil hoc tempore in theologis Romanis non reprehendant, te-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

ſte Bellarmino, ſtudium Galilei prohiberi poſſe, ſcriptaque eius ſuprimi:imo hoc fore in cauſa, vt inimici noſtri eadem auidius amplexentur celebrentque.

In his autem dictis & ſcriptis & ſcribendis, ſemper cenſuræ S. Matris Romanæ eccleſiæ, meliorumque iudicio me ſubmitto. Vale Illuſtriſſime Cardinalis Caietane, patrone virtutum Italicarum.

(·.·)

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.284